

CHYTRAEUS (Nathan)

SILVARUM LIBRI QUATTUOR

(3150 vers)

Le texte proposé ici a été établi à partir de l'édition de l'oeuvre poétique de Nathan Chytaeus parue à Rostock en 1579, chez Stephanus Myliander.

I

NATHANIS CHYTRAEI SILVARUM LIBER PRIMUS.

(1013 vers)

FRIDERICO II. DANIAE, NORVEGIAE, SCLAVORUM GOTHORUMQUE REGI SERENISS.
ET SOPHIAE, EPITHALAMIUM.

SILVA PRIMA.

S1_1 v.1 Jam tandem sperata diu lux aurea caelo
2 extulerat radios, qua se pulcherrima Nymphæ,
3 Nymphæ animo formaque potens, et stirpis avitæ
4 laudibus, e patria Danorum inferret in oras,
5 ingressura sui suprema palatia regis,
6 acceptura etiam regalem a rege coronam,
7 et regis subitura toros regina jugales.
8 Ergo, Jovis monitu, supera Cyllenius arce
9 labitur, et purum, sine nube, per aera vectus,
10 Musis et Phoebæ loca consecrata petivit :
11 ascensu loca difficili, et mortalibus aegris
12 invia, ni paucos Musæque et Phoebus amarent,
13 quis datur invicto tandem huc penetrare labore.
14 Sed pronum hoc superis iter est : caducifer ergo,
15 vel dicto citius, Phoebæ juga sacra, piasque
16 Musarum sedes et amoena vireta tenebat.
17 Adstanti arrisere Deæ ; mox omnia circum
18 resplendent miro florentia prata colore,
19 et passim volucrum resonant aviaria cantu,

20 cunctaque Palladio late complentur odore.
 21 Ast illum in sacros nemorum abduxere recessus
 22 Aonides : ubi non ullam perpessa senectam,
 23 non aestum solis, non durae frigora brumae
 24 laurus erat, folii pulchra immortalis honore,
 25 quam subter nitido lucebant flore amaranti.
 26 Hic igitur divum interpres, cingente corona
 27 Pieridum, cari exponit mandata parentis,
 28 Atque ait : "O Jovis aetherei verissima Musae
 29 pignora, virtutum sacra in praeconia natae,
 30 atque ideo a teneris aulae caelestis alumnae
 31 doctricesque hominum, et vitae morumque magistrae,
 32 quaeque adeo laudesque Die praeclaraque facta
 33 heroum aeterno memores committitis aevo.
 34 Numne etiam vestras rumor pervenit ad aures ?
 35 Ut regum sacra progenies, rex inclitus ille,
 36 inter magnanimos rex inclitus Europaeos,
 37 Scania cui, Danaique omnes, atque ultima Thule,
 38 cui mare fluctivagum, cui Balticus Hellespontus,
 39 Cimbrorumque simul regio ditissima paret,
 40 rex Fridericus, amet regali e stirpe puellam,
 41 patris Udalrici natam, Megalepolis alta
 42 quem colit, atque Heruli veteres, et Vandala tellus,
 43 hic ubi lativagos fortis Germania fines
 44 aspicit : et segetum plenos disternat agros
 45 Varnus alens multos argutae vocis olores.
 46 Haec Sophia, aequales inter pulcherrima : sexum
 47 ingenio, et teneros variis virtutibus annos
 48 exsuperans : generi cui rara modestia summo,
 49 et formae pudor admixtus, gravitasque lepori,
 50 et Charis arcano nectens haec omnia vinclo,
 51 eximias inter peperit decus heroinas.
 52 Namque ubi cum genetrice sua caroque parente,
 53 bis septem vix nata annos, in regna veniret
 54 Danica : (mater enim de Christo nomen adepti
 55 eximii regis soror est) illamque videres
 56 rex Friderice, trahens imo suspiria corde,
 57 atque animo stimulos, fibrisque incendia volvens ;
 58 dixisti : "O faustum juvenem, virguncula talis
 59 cui data nupta, sui similem mox edere prolem
 60 incipiet : claris pater unde nepotibus auctus,
 61 progeniem stirpemque suam florere videbit."
 62 Nec plura. At dum se nequit illam, explere, tuendo,
 63 atque simul vivas audit redditque loquelas :
 64 blandus amor se virgineis abscondit ocellis,
 65 unde novos regi laqueos et tela pararet.
 66 Quis etiam dulci mentem rex saucius ictu,
 67 cum Sophia thalamo sese vincere jugali
 68 percupidum ostendit. Placuit : sic foedere certo
 69 junxerunt fidas haec in connubia dextras.
 70 Sic rex, quod rarum est, non fretus imagine picta :
 71 nec sua committens mutis suspiria chartis :
 72 ipse fuit formae inspector, morumque probator,
 73 atque animi testis, fallaci teste remoto.
 74 Et nunc illa dies, longe optatissima votis
 75 multorum, sollempnis adest, pater optimus ille
 76 qua celeri rate, tot Ducibus comitantibus, oras
 77 Arctoas petet, (uberibus qua Dania campis,

78 Dania clara opibus regnoque insignis avito
79 panditur) auspicio felici atque omine dextro,
80 regnanti in Danais juveni ut conjungat amatam
81 Reginam, thalamoque ambos devinciatur uno.
82 Quando igitur regi, placido rex Juppiter ore,
83 Reginae quando Juno regina beatum
84 conjugium annuerunt : vos o clarissima Musae
85 numina regalem mecum contendite in urbem.
86 Juppiter ipse jubet : "Faciles ire ergo sorores ;
87 ite deae, velutique olim connubia Cadmi
88 Hermionesque novo celebrastis laetae hymenaeo :
89 sic Friderici etiam, Sophiae sic dicite taedis
90 carmina, majori qui vos dignantur honore,
91 quam potuit Cadmus. Quis enim dignatus alumnos
92 est vestros tanto quanto Fridericus amore ?
93 Ille etenim vobis quae struxerat atria quondam,
94 quae dederat pater, illius rex optimus aevi :
95 usque adeo nunc ornavit, sic annua adauxit
96 munera, ut Hafniadum schola quam ditissima, primas
97 Felsineo vix jam Rheno concedat et Arno,
98 Medoacoque ipsi. Quid commemorare necesse est ?
99 Quantus Udalricus vestri sit tutor honoris ;
100 quanto Varniadum studio excolat ille rosetum :
101 Baltica palladio quod litora replet odore."
102 Sic Maia genitus. Sed eum pia turba sororum
103 sic contra est affata : "Patris mandata lubentes
104 accipimus : quin et placide comitamur euntem.
105 Tu modo praecede, et noto te tramite siste."
106 Haec ubi dicta, comisserta imposuere Camenae
107 laurea, purpureis intertextis amarantis,
108 dulcisonaque chely arrepta, citharisque canoris,
109 cum duce festinum rapuere per aera gressum.
110 Urbs est tranquillo longe celeberrima portu,
111 urbs animis opibusque potens, regnoque vetusto,
112 Danorumque caput : populos ubi mercibus auget
113 Balticus Oceanus ; quamque aequo lumine Phoebus
114 aspicit, et doctis sedem hic concedit alumnis.
115 Ad latus illius parvis suffulta columnis
116 stat domus innumeris : consistunt limine postes
117 aureolo, et nitidis fulgent laquearia gemmis.
118 Centum intus thalami, centumque cubilia puro
119 murice tecta patent, auroque ornata corusco.
120 Inque illis aula est, regum delecta recessu,
121 in quadrum spatiosa fluens, ubi plurima mensas
122 regali dape magnifice, et crateribus aureis,
123 constructas, circum mantilia picta tegebant.
124 Has rex et reges regumque propagine nati
125 cingebant proceres, exque omnibus heroinae
126 delectae, inter quas ceu sidus amabile nostra
127 fulgebat Sophia, illustri bellissima vultu.
128 Huc igitur, duce Mercurio, Phoeboque sorores
129 ingressae, ante sacram Friderici regis, et almam
130 Reginae faciem, astiterunt. Miratus carum
131 incessumque gravem, faciemque habitumque serenum :
132 esse deas vidit rex inclitus. Ergo paterni
133 indicio sceptri praestare silentia cunctos
134 ipse jubet, placidoque illas ultro aspicit ore.
135 Illae autem flexere genu, vultuque modesto

136 (circumstant proceres, admiranturque canentes)
 137 talia fuderunt, alterna carmina voce.
 138 "Salve o progenies divi Friderice parentis,
 139 o decus et columen Danorum, et gloria gentis
 140 Cimbrigenae ; cui praestantem virtute puellam
 141 jungit avis, atavisque potens, et sceptriger heros
 142 fortis Udalricus, carum Megalepolis ora
 143 quem colit, observatque ducem, carumque parentem.
 144 Salve iterum, Friderice, tibi novaserta paramus.
 145 Vix etenim quisquam nemoris decerpere fructus
 146 dignior Aonii, tua quam pulcherrima conjunx ;
 147 et tu magnorum flos optatissime regum.
 148 Annue clementi taedis Deus optime vultu.
 149 Tu quoque reginae soboles clarissima matris,
 150 quae commune genus proavum cum rege recenses,
 151 nymphea potens, et gemmiferis ornata coronis,
 152 sis felix, regique tuo diuturna voluptas,
 153 quam turbent nullis venientia saecula saeculis.
 154 Annue clementi taedis Deus optime vultu.
 155 Juppiter ipse tibi radio, Friderice, sereno
 156 nascenti arrisit, sceptrum, aureolamque coronam
 157 pollicitus juveni ; arrisit quoque sidere Mavors
 158 sanguineo, armavitque manus in proelia, tradens
 159 mox tibi Marsigenas felici clade domandos.
 160 Quin Cytherea potens thalamos firmare jugales,
 161 ipsa tibi Nymphae cor fausto accendit amore,
 162 ipsa tui Nympham totam inflammavit amore.
 163 Felicem, Friderice, tui quoque sidera curam
 164 suscipiunt, regisque favent constanter honori.
 165 Annue clementi taedis, Deus optime, vultu."
 166 At Sophiam gremio Pietas excepit : adultam
 167 erudiit sacra Relligio ; mox aurea Juno
 168 et Pallas, Charitumque chorus placidissimus, illam
 169 certatim excoluere suis, fausto omine, donis.
 170 Quin et adhuc caram faciles comitantur alumnam,
 171 muneribusque beant variis, semperque beabunt.
 172 Aspice quantus honos generoso effulgeat ore,
 173 gratia quae vultus, quam mitis flammula blandis
 174 fulguret ex oculis, gravitas matura juventam
 175 ut superet, majestati conjuncta venustas
 176 cunctorum ut mentes in se convertat et ora !
 177 Annue clementi taedis Deus optime vultu.
 178 Majores, Friderice, tuos, priscosque parentes,
 179 quid celebrare opus est ? Quorum celeberrima virtus,
 180 et bonitas numquam venturo abolebitur aevo.
 181 Inprimis pater ille suum de nomine Christi
 182 nomen habens, summos inter laus maxima reges,
 183 mente manumque fuit. Patriae pater optimus orae,
 184 virtuti finem egregiae metamque labori
 185 qui statuit nullam, totisque hoc viribus egit,
 186 ut genus humanum meritis cumularet, opemque
 187 turbatis ferret magno molimine rebus.
 188 Annue clementi taedis Deus optime vultu.
 189 Quid patrem Sophiae laudabimus Udalricum,
 190 egregium virtute ducem ; qui regis imago
 191 siderei, bonitate sua est, vultuque sereno.
 192 Quaecumque incedit, Bonitas comitatur euntem,
 193 castaque Sophrosyne, gladioque Astraeta nitenti

194 armata, et regum firmans Clementia sceptrum.
 195 Astat cana Fides, fraudisque ignara dolosae,
 196 atque adeo in cunctis verax Constantia rebus.
 197 Sit felix, vivatque diu clarissimus heros,
 198 connubium et natae felix, regesque nepotes,
 199 canitie venerandus avus, viridique senecta,
 200 cernat, et astriferum sero conscendat olympum.
 201 Annue clementi taedis Deus optime vultu.
 202 Nec matrem, Friderice, tuam, rex optime, fas est
 203 neglegere : illa Dei fuit ut clarissima donis ;
 204 munus et ipsa Dei, fulvo pretiosius auro :
 205 sic quoque Dorotheae divinum nomen adepta est ;
 206 nomen et omen habens. Nam te, Friderice, secundo
 207 extulit in lucem partu, fratresque potentes :
 208 quin etiam natas patriae bonitatis alumnas,
 209 et summis nuptas ducibus. Salve, optima mater,
 210 et soror, et conjux, socrusque et filia regum :
 211 et nati thalamis e caeli desuper arce
 212 laeta fave, regesque etiam sperare nepotes
 213 incipe, nam nullo stirps regia desinet aevo.
 214 Annue clementi taedis, Deus optime, vultu.
 215 Nec Sophiae mater clara Elisabeta relinqui
 216 plane indicta potest : decus Elisabeta mariti
 217 eximium, pietatis amans, cultusque verendi
 218 numinis, ingenio prior omnibus heroinis,
 219 quas vel nostra tulit, vel postera proferet aetas.
 220 Nam quae sit morum gravitas, prudentia quanta,
 221 atque adeo in cunctis sollers industria rebus,
 222 haec alio memoranda loco. Salve inclita, salve
 223 Elisabeta tui speciosa corona mariti,
 224 et gentis tutela tuae, virtutis amatrix,
 225 qua viva injectos scelerata licentia frenos
 226 sentiet impatiens et disciplina feroces
 227 compescet, reddetque bono sua praemia civi.
 228 Salve iterum, tua te sequitur pulcherrima proles,
 229 virtute, ingenio, bonitate, et moribus aureis.
 230 Annue clementi taedis Deus optime vultu.
 231 Felix illa dies, et nox felicior illa,
 232 Dorothea in thalamos regis qua ingressa jugales
 233 te nobis, Friderice, dedit, gentique tuorum,
 234 et Sophiae inprimis nostrae, cui foedere junctus
 235 perpetuo, donec tandem caput induat albam
 236 canitiem, vive ad seram sine lite senectam.
 237 Annue clementi taedis Deus optime vultu.
 238 Fortunata dies, nox fortunatior illa,
 239 Elisabeta suo qua felix juncta marito,
 240 tam pulchram, illustrem, fortunatamque puellam
 241 edidit in lucem, tibi quae, Friderice, placeret,
 242 et thalami comes una tui, vitaeque beatae,
 243 viveret innumeros tecum feliciter annos.
 244 Annue clementi taedis, Deus optime, vultu.
 245 Pace nihil melius, nihil exoptatius usquam,
 246 Marte nihil pejus, nihil exitiosius orbi est,
 247 Marte malo. Nam sunt gemini, quorum alter ubique
 248 et hominum pestis, patriae populator, agrorum
 249 pernicies : saepe innocuo quoque sanguine gaudens.
 250 Alter praesidium patriae templisque focusque,
 251 confugiumque bonis, infandi criminis ultor.

252 Hunc igitur Fridericus amet, cum forte necesse est :
 253 illum aversetur : quin pacis ad otia pronus,
 254 exigat innocuam sine caede, et sanguine vitam.
 255 Nomine sic rebusque ipsis, Friderice, deinceps
 256 dives eris pacis, supremo dives honore.
 257 Annue clementi taedis, Deus optime, vultu.
 258 Regum illustre decus Sapia dia Latinis,
 259 quae Graecis Sophia est, rectae rationis alumna,
 260 quae sint, quae fuerint, quae mox ventura trahantur
 261 cuncta videns, verique vias penetrare laborans,
 262 unaque concedens felicitatis gaudia vitae,
 263 si praesit populo monitis parere volenti.
 264 Hanc Sophiae indicio semper Fridericus amabit,
 265 et colet. A recti numquam deflectere norma
 266 sic poterit ; sceptrumque suum sine labe tenebit,
 267 sic poterit rex esse sui, rex esse suorum.
 268 Annue clementi taedis, Deus optime, vultu,
 269 felices ambo, et felici sidere nati,
 270 conjunctique toris genialibus omine dextro.
 271 Ipsa etenim caeli facies, et tempora vestris
 272 arrident thalamis : quin vestro mitis honori
 273 indulget natura parens. Magnum aspice solem,
 274 solem oculum mundi. Numquid non serius ille
 275 nunc oritur, citiusque suis sese occulit undis ?
 276 Ut diuturna feras felicitatis gaudia noctis.
 277 Annue clementi taedis Deus optime vultu.
 278 Jam passim revirescit humus benevolentibus herbis,
 279 in varios convertuntur circum omnia flores :
 280 spiceaserta gerens, atque omnigeno proventu,
 281 optima messis adest : quam pleno copia cornu
 282 insequitur, pulsata terit magna area fruges :
 283 atque adeo in vestros conspirant omnia honores,
 284 Divitiisque novis veteres cumulare laborant.
 285 Annue clementi taedis Deus optime vultu.
 286 Ergo tuam toto, flagrans, complectere corde
 287 Rex Sophiam, et signis gaude, ominibusque beatis,
 288 naturae quae lege soror tibi paene fuisset,
 289 hanc tibi reginam tua, rex Friderice, voluntas,
 290 consortemque tori divinae copula legis,
 291 et commune genus junxit, formaeque venustas,
 292 atque amor injiciens nexas adamante catenas.
 293 Annue clementi taedis, Deus optime, vultu.
 294 Tu quoque laeta tuo, Sophia optatissima, rege,
 295 pone modum lacrimis, nec te jactura paternae
 296 sollicitet gentis : non matris cura relictas.
 297 Haec etiam regio patriam tibi praebet amicam :
 298 hic stirpis pars ampla tuae est, a matre vetustum
 299 unde genus trahis : hic series longissima regum,
 300 majores quos esse tuos rex ipse fatetur,
 301 paene tibi frater communis origine stirpis ;
 302 quin etiam plus quam frater mox deinde futurus,
 303 cum dare complexus, et blanda iterare licebit
 304 basia, vel vero quod basia vincat amore.
 305 Annue clementi taedis, Deus optime, vultu.
 306 Lenta velut vitis ramosas implicat ulmos,
 307 pampineaque coma, pictisque gravata racemis
 308 emicat, et cunctos istac oblectat euntes :
 309 sic tu nixa tuo, sed suavis sarcina, regi,

310 progeniem casti, ceu pignus amabile, lecti ;
 311 quaeque pudicitiam matris simili indicet ore ;
 312 quaeque sit et vinclum, et testis communis amoris ;
 313 discutiatque suo curarum nubila risu ;
 314 produces : regique tuo, patrique voluptas,
 315 amborum ad seros extendes tempora canos.
 316 Annue clementi taedis Deus optime vultu.
 317 Sic Musae. Et cum se perfunctas munere jusso,
 318 officiique sui partes implere putarent :
 319 submisso graviter vultuque, et poplite flexo
 320 egressae, liquere domos, et regia tecta,
 321 quas desiderium procerum haud vulgare secutum est.
 322 Nec mora tranquillo e pelago Nereides almae,
 323 phocarum latis humeris dorsoque sedentes,
 324 laetisonis cecinere modis ; Tritones aduncis
 325 quin etiam conchis hymenaeum ad lucida caeli
 326 sidera tollebant, missosque ad sidera plausus.
 327 Annue clementi taedis, Deus optime, vultu,
 328 et veluti thalamo rex et regina beato
 329 junguntur : sic cum Danis Germania vinclo
 330 unita aeterno, stabili coalescat amore.
 331 Et quamvis mare fluctivomis interstrepit undis,
 332 gentem utramque tamen concordia foedere nectat
 333 unanimi : quod nec saevo Mars turbidus ense ;
 334 nec fera seditio ; nec opum vaesana libido ;
 335 non ulla annorum series aut tempora solvant.

VOTUM PROEMPTIKON PRO FELICI NAVIGATIONE ET REDITU
 ILLUSTRISSIMI UDALRICI DUCIS MEGAPOLITANI, DOMINI S. CLEMENTISS.

SILVA II.

S1_2 v.1 Effluit exactus plenis jam mensibus annus,
 2 cum, Sophia comitante, sui rex optimus aevi,
 3 rex Fridericus, herus Boreae septemque trionum,
 4 rex Danaum, turma circum comitatus equestri
 5 nobilium juvenum et procerum, Megalepolis arces
 6 invisit, soceri fido compulsus amore.
 7 Nunc quoque Varniadum dulces ubi flatibus undae
 8 crispantur, salsique ineunt vada caeca profundi,
 9 magnus Udalricus, stipatus flore suorum,
 10 ut generum socer invisat, teneroque nepoti,
 11 aureolo in lucem partu quem regia mater,
 12 in spem regnorum caelo quibus imminet arctos,
 13 jam peperit, coram aspiciat, coram oscula figat.
 14 Christe potens tempestatum, ventique marisque,
 15 una qui fragiles conservas voce carinas,
 16 saevaque ventosi mulces discrimina ponti,
 17 da faciles navi cursus : Aquilonis iniqui
 18 vim cohibe, sileant Cauri, se comprimant Euris.
 19 Unicus hic Auster satis est, si leniter afflet,
 20 et placide expansas velorum dirigat alas.
 21 Ille igitur reliquis spiret cessantibus unus.
 22 Tum locus est Boreae, salva cum classe redibit
 23 Heruleus princeps, hoc florentissimus aevo.
 24 Tu quoque celsa ratis, nostri cui pignus amoris,
 25 depositumque uno tantum concredimus ore,

26 depositum, quo per tumidas pretiosius undas,
 27 nil vexisti umquam, serva quod sumis, et omnes
 28 incolumes Danaum felici in litore siste :
 29 omnes incolumes turgentis ad ostia Varni
 30 salva refer. Sic te certatim ambire natatu
 31 Nereides properent ; mediis tibi praenatet undis
 32 remigii dux et classis pia cura Palaemon.
 33 Sed quid ego haec frustra vatum ludibria Christo
 34 addictus repeto ? Potius te turba sacrorum
 35 spirituum, aligerumque chorus circumdet, et arcto
 36 per mare stipatam speratis applicet oris.
 37 Quas princeps ubi contigerit pulcherrimus heros :
 38 non novus hospes erit, non plane incognita turba
 39 nobilium juvenum. Socerum gener obvis ulnis
 40 excipiet ; regina patrem ; rex parvulus ille
 41 flos Danaum arridebit avo, dextramque pusillam,
 42 sed magnam, sed sceptriferam quandoque futuram,
 43 porriget, et tacito mulcebit pectus amore.
 44 Ipsa quoque Elisabetha Ducis pulcherrima conjunx,
 45 et soror et socrus regum, regisque tenelli
 46 nunc avia, advecto duplicabit vera marito
 47 gaudia. Germani proceres Danaique coibunt,
 48 atque una veteris renovabunt foedus amoris,
 49 certabuntque una officiis, studiisque benignis.
 50 Cognatasque olim terras, gentesque propinquas
 51 sic unam facient animis curaque fideli,
 52 ut seros eadem maneat quoque cura nepotes.
 53 O regum caput et rector, rex unice regum,
 54 accipe vota, quibus classem procerumque Ducisque,
 55 quo sine nil dulce est patriae, nec amabile Musis,
 56 insequor, et regem tenerum, regisque parentes
 57 commendo superis. Sic omnia, Christe, governa,
 58 sic animos, sic corda virum moderare ducumque,
 59 cernat ut optatum tam laeta profectio finem.

NATALIS FRIDERICI II. POPULORUM SEPTEMTRIONALIIUM REGIS POTENTISS.

SILVA III.

S1_3 v.1 Natali, Friderice, tuo, Rex optime mundi
 2 Arctoi, septemque adeo rex summe trionum,
 3 regibus et genite, et reges geniture nepotes,
 4 Juliades sese tollunt celebrantque calendae.
 5 His etenim in Cimbris olim te regia mater
 6 Dorothea in lucem aureolo dedit aurea partu.
 7 Te pater a Christo memorabile nomen adeptus,
 8 a teneris artes belli pacisque tenere
 9 edocuit, purae cum relligionis amore,
 10 nunc etiam quibus haud cedis majoribus ullis,
 11 exaequas alios, haud paucos denique reges
 12 exsuperas etiam. Nam quantum bellica virtus
 13 extulerit nomenque tuum laudesque tuorum,
 14 turmae equitum, peditumque manus, classesque loquuntur,
 15 et mare, tormenta, et scopuli mutaeque natantes,
 16 et tibi quae palmae ramum victoria tendit,
 17 imponitque sacris oleagina sarta capillis.
 18 Accedunt artes pacis, pia regula legum,

19 cui rex ipse subest : aequissima judiciorum
 20 integritas ; neque enim dubias extendere rixas
 21 ut nobis, licitum est Danais : actore reoque
 22 auditis quantum satis est, examine justo
 23 terminat exortas subito sententia lites.
 24 Quando alibi rabies venalis turgida linguae
 25 partibus emunctis liti connectere litem
 26 callida, pro scelere hoc opibus cumulatur et auro.
 27 Pro matrona etenim lupa jam, pro matre noverca
 28 facta est in multis Themis illa loquacula regnis.
 29 Hic videas nullos de relligione tumultus,
 30 hospitium sacris pandit laeta Hafnia Musis,
 31 Hafnia doctorum sedes et alumna virorum,
 32 tuta patrociniis et florentissima tanti
 33 praesidio regis : largissima praemia doctis
 34 qui impendit cathedris, templis, docilique juventae,
 35 Maenaliis meritis implens ingentibus orbem.
 36 Sis felix, nostrumque etiam, Friderice, laborem,
 37 de quo sex superant, sex praeteriere libelli,
 38 auspiciis defende tuis : sic nominis illa
 39 gloria vera tui, per se notissima mundo,
 40 Fastorum quoque veriloquis inscripta libellis
 41 crescet apud seros etiam celebranda nepotes.

ILL. MIS PRINCIPIB. ET DOMINIS, D. JO. ALBERTO, ET D. UDALRICO, DUCIB.
 MEGAPOLITANIS. PRINCIB. VANDALORUM, COMITIB. SUERINI, DD. ROSTOCHII
 ET ET STARGARDIAE ETC. DOMINIS SUIS CLEMENTISSIMIS.
 EPIBATERION.

SILVA IIIII.

S1_4 v.1 Ergo dies gemitu toties optata fideli
 2 tandem aderit, qua confectam tot cladibus urbem
 3 magnanimi virtute duces proceresque revisent,
 4 sperataeque diu sanctissima foedera pacis
 5 auspiciis firmare novis, certamque quietem
 6 incipient iterum patriis inducere terris.
 7 Nascere, quid cessas ? Properans age lucifer almam
 8 tot votis precibusque diem tam saepe petitam :
 9 nascere, et hibernae quamvis vix frigora brumae
 10 desierint, hiemisque nives metuamus aquosae ;
 11 attamen hanc unam jucunda luce serenam
 12 effulgere diem fas sit : tam murmuris aurae
 13 ventosi sileant, stratum cadat aequor, ut ortus
 14 mundi oculus purum sine nube perambulet orbem.
 15 Haec illa est, haec illa dies, quae candida pacis
 16 gaudia confirmans stabilit, bellique labores
 17 et lites placide nostris exterminat agris,
 18 mutat et Aoniis lituorum classica plectris.
 19 Haec illa est, haec illa dies, optata reducens
 20 tempora. Jam fausti incipient procedere menses,
 21 jam mare navigiis rursum tentare, priores
 22 jam merces mutare licet, jam tollere muri
 23 rudera, jam tutos telluri infindere sulcos.
 24 Accepti jam si qua mali scintilla supersit,
 25 obruta sollicita patriam formidine solvet,
 26 unanimique dabit laetentur ut omnia plausu.

27 Haec illa est, haec illa dies, qua gratior urbi
28 huic nondum Oceani genialibus exiit undis,
29 natali proprio quae carior omnibus, una
30 inter Erythraeo festas signanda lapillo est.
31 Scilicet ut quondam ventis turbantibus aequor,
32 cum simul horrifico fremeret caelum omne tumultu,
33 nauta animi trepidabat inops dubiusque futuri :
34 sed simul aspiceret nitidas dextro omine flammis
35 Tyndaridum lucere mari ; jam laetior atras
36 pellebat curas animo : non inscius undas
37 jam sterni, ventosque minis desistere, nubes
38 diffugere, et stellas caelo prodire sereno :
39 sic hodie nobis per acerbo turbine dudum
40 jactatis, fratrum nascetur amabile sidus,
41 tergeminum sidus, cujus fulgore tenebrae
42 maestitiae luctusque cadent, Bellona flagellum
43 contrahet, exitiosa Hecate gestamina condet,
44 laetaque sublatis aderit Concordia palmis.
45 Varne quid antiquos stellarum suspicis ortus ?
46 En hodie nova Tyndaridum tibi sidera surgent,
47 sidera fausta magis, quam vel nimbosus Orion :
48 vel piger Arctophylax, vel Cassiopea cometae
49 infamis radio. Non haec tibi sidera clades,
50 non imbres tibi portendunt, non aequoris aestu
51 luctantes ventos tempestatesque sonoras :
52 sed caelum nebulis purum, sed lumina solis
53 aurea, et optatam Borea cessante quietem.
54 His tibi placatis, roseos spirabis odores,
55 nascenturque tuae flores in margine ripae,
56 hinc Musae plenis texent tibiserta quasillis.
57 Quosque alis herboso niveos in flumine cycnos
58 dulce canent, Varnique ferent ad sidera nomen.
59 Ite coronati stipatoque agmine cives,
60 ite magistratus, plaudentes ite Camenae.
61 En vobis, lapidem ad primum lapidemve secundum,
62 obvia procedent tam candida sidera, lucis
63 quin etiam fulgore novo cum moenibus urbem
64 mox illustrabunt totis radiantia vicis.
65 Sit bonus et felix urbi, temploque focusque,
66 Tyndaridum novus hic optati temporis ortus :
67 quos circum Juno ipsa micat, micat aurea Pallas,
68 pluraque conspicuis juvenilia sidera flammis.
69 Illorum aspectu vis et furor impius urbe
70 excedant, dent bella locum, discordia demens
71 exsulet et miseros seducens factio cives.
72 Incipiat rerum ordo novus, nova tempora surgant.
73 Hic sedem Eunomie figat, comitata sorore
74 Astraea, priscaque Fide ; pax optima rerum,
75 et bene latarum prompta observantia legum,
76 quin etiam pudor, atque auro magis aurea virtus
77 hic habitent, cumulentque suis nova saecula donis.
78 Hae sunt aureolae Themidis natae : urbibus illae
79 si praesint, vel prima locent fundamina rerum ;
80 non his consilium deerit, non rebus egenis
81 auxilium, sed largifluo bona copia caelo
82 appluet, et laetos hilarabunt gaudia vultus.
83 Has ipsas, o Arcta Rhodos, tibi sidera mittunt
84 jam tua, tu modo pande manus, vultuque sereno

85 excipe tam faustas hac ipsa luce sorores.
 86 Exceptasque fove cupidis amplexibus, illae
 87 ut posthac numquam offensae tua tecta relinquant,
 88 voce etiam gemituque pio sine fine precare,
 89 ut diuturna micent isto tibi sidera caelo.

POMPA SPLENDIDISSIMI, IN URBEM SUAM ROSTOCHIUM,
 POST FELICEM CONTROVERSIARUM TRANSACTIONEM, INGRESSUS,
 ILLUSTRIS. JOAN. JOANNIS ALBERTI ET UDALRICI FRM. PRINCIP. MEGAP.

SILVA V.

S1_5 v.1 Cum subit illius pulcherrima lucis imago,
 2 discidiis qua compositis, et pace reducta,
 3 Herulei subiere duces proceresque Roseti
 4 moenia clara sui, longa comitante caterva :
 5 tum positis animo curis, cor emicat intus
 6 laetitia, saliuntque imis mihi pectora fibris.
 7 Haec est illa dies tam laetae conscia pompae,
 8 quae tam fausta dedit doctis praeconia Musis,
 9 quae tam grata bono retulit spectacula civi,
 10 quae patriae insolito superavit vota nitore.
 11 Hanc ego dum festis conor celebrare Camenis,
 12 o celebres bonitate Duces, par nobile fratrum,
 13 aspirate meo geniali fronte labori.
 14 Omina fausta cano, quae mox annalibus addet
 15 forte aliquis, patriae cui gesta negotia curae.
 16 Jam prope lux aderat februis octava Latinis,
 17 tanto operi jam dicta olim, cum pacta coirent
 18 foedera : tunc igitur patriae duo lumina fratres,
 19 ductor Joannes Albertus, et alter ab illo
 20 Ulricus, quique his comitem se junxerat imae
 21 Franciscus Dux Saxoniae, concordibus ultro
 22 convenere animis, ubi quondam Vandala pubes
 23 a bonitate loci Doberanum nomine dixit.
 24 Hic coiere etiam tota regione vocati
 25 Heruleae gentis proceres, equitesque virique
 26 illustres vel consilio, vel fortibus armis,
 27 laetitiae ceu consortes tantique triumpho.
 28 Primo equidem adversis ventis hiberna tumbant
 29 aequora, murmur erat : non illa sidera nocte
 30 conspiceres, non mane orti pulcherrima solis
 31 lumina, cuncta nives, tenebrae, glaciesque replebant.
 32 Sed simul ac campis exercitus ivit apertis,
 33 instructa de more acie, ventumque sub urbis
 34 conspectum ; en subito discordes proelia venti
 35 sedarunt, rapidum placidis mare constitit undis,
 36 cum nebulis abiire nives : sol aureus ultro
 37 candidior, puro nitidum caput extulit axe,
 38 clarior et solito circum resplenduit aer.
 39 Felices, quorum adventu nebulaeque nivesque,
 40 flabraque ventorum fugiunt : quos Cynthus ipse,
 41 suaviter arridens, de caeli respicit arce !
 42 Fallor ? An et nubes, simili ratione modoque,
 43 tristitiae luctusque cadent ; discordia vestro
 44 aspectu aufugiet ; pax dudum optata redibit ;
 45 exseret et caelo placidos concordia vultus.

46 Jamque propinquabant conspectae moenibus urbis,
 47 cum subito ardescens imitata tonitrua caeli
 48 machina, terribilique aethram caligine replens,
 49 ter bona signa dedit. Consistunt ordine longo
 50 hinc atque hinc juvenes, sclopos ferrumque tenentes.
 51 Inque foro innumeri cives, quo quemque vocabat
 52 signifer, armata laeti coiere phalange.
 53 Haud equidem secus instructi, quam si aspera Martis
 54 pugna vocet, laeti interea, jam foedere bellum
 55 componi optato, et ducibus praeaeuntibus aliam
 56 ceu postliminio pacem Charitesque reduci.
 57 Loricis humeri, galeis capita ardua fulgent,
 58 hastarum exurgit toto seges horrida campo.
 59 Nec minus Aonidum cultrix Academia cessat
 60 grata suos animo laeto exspectare patronos.
 61 Ergo foro studiosa cohors collecta Latino,
 62 rectores comitata suos, comitata magistris,
 63 consistit placide, toto longo agmine vico,
 64 exceptura Duces vultu gestuque decoro.
 65 Interea turma Herulidum, ternique caballis
 66 procedunt gestati equites, ternique sequuntur,
 67 paulatim augetur series, numerosaque plenis
 68 agmina se fundunt portis, tuba ductilis edit
 69 Barbaricos inflata sonos, lituusque remugit.
 70 Pone sequebantur canis meritisque verendi
 71 magnatum lecti proceres, summusque senatus,
 72 cui patriam vel consiliis, vel voce diserta,
 73 aut opibus strictove labor defendere ferro,
 74 sublimes in equis omnes, auroque corusci,
 75 nobilitate omnes illustri, et stirpis avitae
 76 nominibus celebres. Hanc hic cernere posses,
 77 hic Ribios, hic Belovios, hic denique Plessos,
 78 hic Halberstadios, hic Crusos, et Beronestos.
 79 Bassvicios tibi quid memorem, fortesque Lyaeos ?
 80 Quid Prenios, quid Bulovios, quid denique Linstas ?
 81 Quidve Wagerbardos, Crammonos, Luzoviosque ?
 82 Quid reliquos memorem ? Quorum vix versibus apta
 83 paene tremenda sono sunt nomina : conjice forti
 84 quid dextra in bellis animoso et robore possint.
 85 Hic quoque tergeminos efflabat buccina bombos :
 86 tudentes alii, strepito cum murmure, ahenos
 87 praetensas tauri exuvias, caelum omne replebant
 88 ictibus in numerum resonis, mixtoque boatu.
 89 Haud secus Aeneae sociis Misene solebas
 90 aere cedere animos, pugnamque accendere cantu.
 91 Mox veluti delecta cohors praetoria, pubes
 92 nobilium incessit juvenum, comitata magistris
 93 ductoresque suos, animosae robora gentis.
 94 Ecquis enim sternacis equi per devia saxa
 95 terga premat melius ? Melius calcaribus armos
 96 quis fodiat ? Celeremve arcto compescere freno,
 97 ad cursum aut laxis sciat invitare lupatis ?
 98 Hic tandem subiere, velut tria sidera caeli,
 99 illustres splendore Duces, capita alta ferentes.
 100 Dexter erat, longeque alios supereminet omnes
 101 Ulricus, tantum egregio decus enitet ore.
 102 Ad laevam Franciscus erat, ceu pulcher Iulus.
 103 Hos inter medius validis moderator habenis,

104 ceu senior, cuique hi merito debentur honores,
105 ibat Johannes Albertus, amabilis heros,
106 cum fratre Herulidum nostro dux inclitus aevo.
107 Incessere una vultuque et fronte serena
108 Heruleae flos et robur commune juventae.
109 Mox adsunt clarae virtutibus heroinae,
110 quadrijugus sonipes quos curru invexit aperto,
111 prima est Anna decens Sophiae cognomine nota,
112 Alberto patre Prussiae olim edita terris,
113 nunc conjunx materque ducum quos Baltica Thetys
114 suspicit, et roseis Varnus veneratur ab undis.
115 Assidet Elisabeta illi, soror inclita regis
116 Danorum, a Christo qui nominis omine gaudet,
117 Heruleique ducis consors, materque venusta
118 reginae Sophiae, uxorem quam tempore nostro
119 rex habet, et regum placidam quam postmodo matrem
120 laeta salutabit festivo Dania plausu.
121 Hinc quadriga alia praestanti corpore nymphas
122 omnes egregia natas de stirpe videres,
123 insignes vultu roseo gestaque decoras.
124 Atque ita cum longe comitum processerat ordo,
125 servorumque equitumque phalanx postrema secuta est,
126 et numerosam aciem condensato agmine clausit.
127 Talis erat rerum facies, hoc ordine, longa
128 incessere via, mediam quae dividit urbem,
129 hinc equidem a dextra, Musarum et pacis alumnis,
130 a laeva cincti speciosa ferentibus arma.
131 Haud secus armipotens caelum ingressurus Orion,
132 primum insigne caput, nitidosque ex aequore vultus
133 exserit, hinc humeri subeunt, et pectus honestum.
134 Balteus inde tribus radians uno ordine gemmis
135 procedit, qua parte sui pulcherrimus, ignes
136 offuscat reliquos ; gladiusque pedesque sequuntur,
137 paulatim donec magno porrectus Olympo
138 ingreditur rutilans, et toto corpore supra est.
139 Astra minora latent, dubiis aut ignibus ardent.
140 Non aliter quacumque Duces prodire videres,
141 nubila diffugiunt, subito lux clarior orta
142 emicat, hinc atque hinc Charites glomerantur, et irae
143 inscia sublatis plaudit Concordia palmis.
144 Quin ipsae Aonides tranquillae pacis alumnae
145 exsultant, fugiunt rixae, vis improba languet,
146 mussat Eris, Bellona latet, Mars impius ultro
147 exsulat, antiquis cedit discordia regnis.
148 Haec videt, obtutuque haeret defixus in uno
149 hinc illinc populus. Quin sese explere tuendo
150 jam nequit, ardenti declarans gaudia vultu,
151 progressosque duces oculis animisque secutus,
152 prosequitur tacite missis ad sidera votis.
153 Jamque iter emensi gressus in tecta ferebant
154 illustres bonitate duces : jam diffluit agmen,
155 limina dum sua quisque petit. Longo ordine cives
156 inde etiam armati coeunt, tormentaquo primo
157 displodunt momento uno simul omnia, magnus
158 exoritur fragor, et strepitu quassa intonat aethra.
159 Hinc directa acie volitantia signa secuti,
160 circumeunt, complentque forum fulgentibus armis,
161 inque globum sese agglomerant, repetuntque penates

162 quisque suos, sonituque viae plausuque fremebant.
163 Jamque duces tecta ingressos comitante senatu
164 exspectans orator adest, cui copia fandi
165 cum facta est, breviter communi totius urbis
166 nomine laetitiam exposuit, quod sidere dextro
167 jam spectare duces patriae patresque liceret
168 Clementes rursus : nihil illis triste receptis.
169 Optavitque adeo, caelesti ut munere pacta
170 foedera perpetuos numquam rumpantur in annos,
171 seque omni obsequio et summa pietate deinceps
172 facturos ea promisit, quae juris et aequi
173 postulet Imperium. Sed nec diffidere, quin jam
174 clementes animos, urbisque in commoda pronos
175 induerint ipsi, et patriae prodesse paratos.
176 Laetitiae quoque signa suae tunc edidit ipse
177 Gymnasii rector lectis comitatus amicis,
178 Palladiique sacri Phoebos Musisque salutem
179 commendans fideique ducum curaeque paternae,
180 imposuit finem brevibus pro tempore dictis.
181 Hos, pro sese eadem, vel non diversa, petentes,
182 diversis tamen alloquiis, nec tempore eodem,
183 laeta jubent victo, fratres, sperare timore
184 erectis animis. Etenim succurrere fessis
185 se cupere, auxiliisque suis opibusque juvare
186 templa, urbem, Musasque ipsas ; pro viribus omni
187 tempore quo vigeant, et laeto flore fruuntur.
188 His dictis redeunt illi. Mox cena paratur
189 splendida, qua functi, nocturno membra cubili
190 componunt, fessos placidus sopor occupat artus.
191 Postera lux aderat, radiisque retexerat orbem
192 Cynthius, et flexu hiberno jam celsior ibat.
193 Ergo duces progressuros ad limina primi
194 Herulidum exspectant proceres, juvenumque corona,
195 stat sonipes manditque labro spumante lupatos.
196 Septenis domus exurgens ad sidera pinnis
197 ad commune fori latus est, plenissima curis
198 curia, primorum quam tum praeunte senatu
199 conscendere duces, celsisque hinc inde fenestris
200 conspicui astiterunt ; effusis undique turbis
201 omnia complentur, longa cum veste Senatus
202 conspiciendus adest. Cupidas quisque arrigit aures.
203 Hic vice mandatoque Ducum cultissimus auctor
204 dicendi Husanus placide sic ora resolvit.
205 Quandoquidem non ignorat pars maxima vestrum,
206 "O cives, populique adeo qui nota tenetis
207 frena senatores, qua conditione modoque
208 vos inter, vestrosque duces, dominosque perennes,
209 litibus incisis, pax sit decreta salubris,
210 perpetuo nexu, quam vis percellere nulla
211 audeat, ad seros jam nunc firmanda nepotes :
212 propterea unanimes lapsis exposcite rebus
213 submisse veniam, quo propugnacula valli,
214 praesidiique minas, ruptae quae moenibus urbis
215 incubuere diu, jam concedentibus ultro
216 principibus vestris, felici sidere, fas sit
217 dejicere, et veteres alio transferre colonos."
218 Dixerat. Hic contra legum jurisque peritus
219 suaviloquus Borcholtus ait : "Vos culmina gentis

220 Heruleae, patriaeque patres, dominosque perennes,
221 urbs, populus, totaque adeo cum plebe senatus
222 submisse, precibusque rogat de pectore fuis,
223 ut vastam hanc molem, vobis mandantibus urbi
224 impositam, demoliri, post condita pacis
225 foedera, jam liceat, lapsosque extollere muros.
226 Praeterea si quo errato lapsuve, vel urbis
227 ipse magistratus, vel cives offenderunt
228 vos dominos patresque suos, ut scilicet illam
229 offensam ex animo placide ejiciatis amico.
230 Sic cives, totaque simul cum plebe senatus
231 per genium, dextramque suam, promittere sancte
232 non dubitant, se perpetua pietate deinceps
233 perpetuaque fide, ratione et juris et aequi,
234 principibus parere suis, cunctasque cavere
235 offensas cupere, et similes avertere casus.
236 Hos contra Husanus, non aspernanda precante
237 mandato monituque Ducum, vultuque sereno,
238 Prosequitur venia, verbisque haec insuper addit.
239 O cives, cum placatae tam fausta procellae
240 fortuna aspiret, curisque haec gaudia vestris
241 miscuerint superi : memores hoc nomine grates
242 dicite, et unanimes in publica commoda proni
243 pacis amatores estote, et foederis icti,
244 vestrorumque ducum, qui vos patriamque tuentur,
245 cultores fidi. Quo res discordia ducat
246 civilis non ignari, veterumque malorum.
247 Sic qui pacis amor Deus est, jam numine dextro
248 aspiciet propius vestros hoc tempore casus.
249 Cura erit et ducibus, ne vos certasse priores
250 paeniteat studiis fida de mente profectis.
251 Quin tutos vos auxiliis opibusque juvabunt,
252 et quid vestra salus, quid publica commoda poscant
253 prospicient, sceptrisque tegent felicibus urbem,
254 ut sic perpetuo vigeat concordia flore."
255 Sic ait. Exoritur laetus toto agmine plausus,
256 nec mora cycneus majori flumine lymphas
257 Varnus agit, laetamque celer circumfluus urbem,
258 Arctos ubi fortis habet Germania fines,
259 exultat, se nobilibus conferre deinceps
260 fluminibus meditans. Salsis Tritones in undis
261 inter inauditos arguto gutture olores
262 dulce canunt, pacisque ferunt super aethera nomen.
263 Laetantur, mediisque agitant convivia tectis
264 cum ducibus proceres patriaeque urbisque Lycaeique,
265 unanimes, verbis faciles, vultuque sereni.
266 Atque ita protractis tam longo tempore turbis,
267 auxilio nutuque Dei, felicibus urbis
268 et patriae auspiciis, optatus denique finis
269 impositus, laeto mutavit tristia plausu,
270 soli sit laus summa Deo, sit gloria soli.

'SÔTERIA' AD UDALRICUM DUCEM MEGAPOLITANUM, PRINCIPEM ILLUSTRIS.
CUM SALVUS ET INCOLUMIS EX LONGINQUA PEREGRINATIONE AD SUOS REDIRET.

SILVA VI.

S1_6 v.1 Phoebus ut immensum diffuso lumine mundum
2 vivificat, radiisque fovet, quo rursus adempto
3 omnia muta silent, solito privata vigore,
4 sic patriae pater, et princeps, ubi numine praesens,
5 dexter adest populis quos dextra et jure tuetur ;
6 omnia laeta vigent, et lumen amabile cunctis
7 effulget splendetque locis, si deserat idem ;
8 omnia nox operit, mortique simillimus aulam
9 torpor habet, squalent pigro late omnia luctu.
10 In patrias igitur felici sidere terras
11 dum populi optatus votis, dux magne, revertis :
12 laetior ardenti respublica gaudia corde
13 concipit, inque novos animo exsultante triumphos
14 solvitur, ut patriae patrem dominumque reversum
15 aspicit, et pulsus hilari de pectore curis,
16 laetitiam sentit veram, victoque dolore,
17 hos animo reditus laeto testatur et ore.
18 Ecquis ab Eoo tam candidus orbe lapillus,
19 aut tanto candore micans sese obtulit umquam
20 margaritis ? Ut merita queat hujus munera lucis
21 insignire nota ? Stupidum cui frigore pectus
22 usque adeo riget, ut toto non corde triumphos
23 nunc agitet ? Cui quaeso manus torpedine tanta
24 deprimitur, laetos ut non ad sidera plausus
25 tollat, et hos patriae tantos gratetur honores ?
26 Sit procul a nostris levis assentatio linguis ;
27 futilitas sit vana procul : non auribus ultro
28 illa tuis, dux magne, damus : tua maxima virtus.
29 Humanae non vocis eget, nec clarior esse
30 alterius sermone potest, fulgoribus ipsa
31 sic alios superans, ut Phoebi lumina noctem.
32 Hos pietas nobis plausus, has publica voces
33 laetitiae, officiumque movent : haec pectore vota
34 exprimit alma Fides, et inexpugnabilis ardor,
35 quo patriae gens tota tuae tibi dedita flagrat.
36 Illa ubi te solitas jam velle relinquere sedes
37 rumor erat : licet ante gravi te pondere rerum
38 provida compelli sciret ; venerandaque Musae
39 numina, nota quibus variis quae gesta sub oris,
40 non ignorarent tibi quanta negotia soli
41 jam subeunda forent : lacrimis tamen illa profusis ;
42 hae scissis plangore comis, nova signa dederunt
43 tristitiae luctusque sui ; tantusque doloris
44 ardor erat, vix ut coeptis conatibus aegre
45 assensae, heu nimio complerent omnia questu.
46 Tunc etiam pulchros inter pulcherrimus ipse,
47 cum pede magnanimi vectus trepidante caballi,
48 agmine nobilium pulchre comitatus abires :
49 patria, singultu coeptas rumpente querelas,
50 talibus est tacitos animi testata dolores :
51 quae mea culpa tuam vertit, dux optime, mentem ?
52 Quod scelus ? An patria securus abesse relictas

53 care potes ? Quae cura mei prior esse solebat,
54 an plane in tenues fugiens evanuit auras ?
55 Cur via tanta placet ? Cur me sic, inclite princeps,
56 deseris ? Hibernae non te crudelia brumae
57 frigora, bellorum nec saeva pericula terrent ?
58 O utinam comes esse tibi consorsque laborum
59 magne queam princeps ! Non me vel murmura ponti,
60 ventorumve minae, non nubibus auster aquosis
61 terrerent, ego prima viae discrimina fortis
62 aggrederer : tu me tutus sequerere, tibi que
63 nulla profecturo vis aut fortuna noceret.
64 Sed quid inutilibus tempus consumo querelis ?
65 Quod superi volvere volens, dimittere cursus
66 non potes incoeptos ; in partem adhibere pericli,
67 nec me credo voles. Ergo quod de omnibus unum
68 jam superest, tibi fausta precor, cursusque secundos.
69 Teque reversurum (quaevis mora laedit amantes)
70 festino celerique gradu, mens anxia luctu
71 credit, et ardentes sperando nutrit amores.
72 Non ego tuta satis, cum te desidero princeps,
73 Non ego laeta satis : tu tu mihi gaudia solus
74 vera moves, tu vita mihi, tu certa quietis
75 ancora, tu nobis, quod mens in corpore, praestas.
76 Te vivo praesente libens, te absente relinquo
77 exanimis, caelique piget convexa tueri.
78 Sic fata ingemuit, lacrimasque effudit inanes.
79 Nec minus ipse animo princeps divine moveris,
80 te populi sincerus amor, mitisque voluntas,
81 mutuaque ardenti stimulant incendia corde.
82 Sed neque susceptos sinit intermittere cursus
83 officii te cura tui, nec rebus agendis
84 nata manus, virtusque animi subterfugit umquam
85 grandia pro patria sufferre pericula gente.
86 Attamen absentem populus, doctaeque sorores
87 sic gemitu flevere pio : sic thura subinde
88 imposuere aris, superis sic vota dederunt
89 pro reditu, Dux alme, tuo : majoribus olim
90 ut studiis non Roma duos ad bella profectos
91 Scipiadas, aut Aemilium cui Persea captum
92 debuit, exspectare suo consueverit aevo.
93 Ah ! lauro quoties posita divinus Apollo,
94 incusans abitusque tuos, lentosque recursus,
95 fundere Varniadum lacrimabile carmen ad undas
96 audiit, et maestus sic ora resolvere Musas.
97 O nimium secure tui gregis, optime princeps ?
98 Cur adeo cur lentus abes, cessasque reverti ?
99 Cur oculos peregrina tuos sine fine morantur
100 oppida ? Nec sentis hoc quam mihi tempore segnes
101 prorepant tardique dies, quam deside curru
102 invitis et Phoebus equis sese aequore condat :
103 ut geminae noctes, solitoque ignavus horae,
104 ipse et cum stellis lente volvatur Olympus.
105 Ah quoties nimio forsitan compulsus dolore,
106 devoveo longasque vias, causasque morandi,
107 accuso et vario tam multa negotia questu !
108 Ah quoties numero tardi momenta diei !
109 Invideoque aliis, qui te pulcherrime princeps
110 aspiciunt, vultusque tui splendore fruuntur,

111 et menses segni labentes increpo cursu !
112 Quando erit ? Incolumis nostro quo redditus orbi
113 gaudiaque, et plausus tecum ventura reducas ?
114 Nil ego nil prorsus laetum nec amabile quidquam,
115 dum tu lentus abes, cecini : versuque coacto
116 saepe reluctantes ad tristia carmina nervos
117 intendi, et quaecumque agerem lacrimosa fuerunt.
118 Mollia quamprimum nobis te fata reducent,
119 en ego laeta canam, pectusque virile resumens,
120 carmina tum facili modulabor ad aethera cantu.
121 Ergo redi, Dux alme, redi, tu portus et aura,
122 tu mihi certa quies, nihil est te triste recepto.
123 Talibus atque aliis, mites Heliconis alumnae,
124 impatiensque morae Pietas, te, maxime princeps,
125 allicere, et solitis volverunt reddere terris.
126 Et magis, ut fatear, de te redituque tuorum,
127 Patria sincero lacrimans fuit anxia luctu ;
128 quam tu de te ipso ; tantus te pectoris ardor
129 magnanimi, fortisque manus compellit, ut omnia
130 inferiora putes, altoque pericula cordis
131 robore despiciens, fortunae incommoda vincas.
132 Ecce sed optatus reficit mihi nuntius aures,
133 qui tandem rediisse tuis te praedicat. O Dux
134 exspectate diu, qua te jam voce, quibusque
135 laudibus excipiam ? Tacitum quo cordis amorem
136 eloquio tester ? Neque enim sua gaudia pectus
137 jam capit, ad justos desunt mihi brachia plausus.
138 Salve festa dies, salve, o clarissime princeps,
139 qui tot laeta simul cumulo mihi congeris uno ;
140 omnia praeteritae renovas qui gaudia vitae :
141 cum procul hinc aberas, lacrimis perfusa madebant
142 omnia, et obscuro Musae squalore silebant.
143 Mox ut salvus ades, mirum, ridere videntur
144 omnia, laetificos et ad aethera tollere cantus.
145 Non aliter peregre patriis abiturus ab oris
146 dilectus genitor, prolem parvosque nepotes
147 sollicitos, multa ipse timens, maestusque relinquit,
148 visit et a nostro sejunctos orbe Britannos,
149 fluctibus et rapidis credens sua corpora ventis.
150 Interea nati tristes, desertaque conjunx
151 computat in reditum patris noctesque diesque,
152 votaue fert superis mixto cumulata timore.
153 Ast ubi confectis rebus, victoque periculo
154 se genitor patrias recipit speratus in oras,
155 et parvam subolem post tempora tanta revisit :
156 illico cor facili saliens ad jubila motu,
157 laetitiae dat signa novae, vultu, ore, manuque,
158 tergemino resonat domus et vicinia plausu.
159 O lux exoptata diu, lux aurea salve.
160 Salve iterum. Tu quod pulsus e fronte tenebris,
161 corde quod exactis nova sentio gaudia curis,
162 munus id omne tuum : tu me reficisque fovesque,
163 tu facis ut saliant imis mihi pectora fibris.
164 Nunc sacra marmoreas, nunc thura ferantur ad aras,
165 victima nunc votiva Deo cadat, omine salvo
166 is mihi te, domuique tuae, patriaeque gementi
167 reddidit. O quis tam faustae quis gaudia lucis
168 enumerare satis, rerum pro pondere possit !

169 Ipse quidem, dux alme, vides splendere caelum
170 clarius, et Phoebum insolita sua gaudia luce
171 testari : exsultare senes, accurrere cives,
172 matronas, pueros, juvenes, laetasque puellas :
173 cunctaque te reducem vultu exspectare sereno.
174 At tibi si tales oculi, dux optime, dentur,
175 corda quibus penetrare queas, imoque recessus
176 pectore : dii quales risus, quae et quanta videres
177 jubila, quos plausus imis gestire medullis !
178 Lingua deest animo, nec si mihi guttura centum,
179 sescentaeve manus, blandi aut vox Nestoris esset,
180 te celebrare satis, satis aut tibi plaudere possem.
181 Quam me destituunt non apto tempore Musae !
182 Quam Maia genitus laudum splendore tuarum
183 territus, hei subito nimium mea coepta relinquit !
184 Non tanta magnes, regio quem Misnica passim
185 et tellus Boiema fodit, vi fissile ferrum
186 attrahit ; ut populi mentem tua maxima virtus,
187 mirus frontis honos, et amabilis allicit oris
188 majestas. Tu deliciae, tu lumen, et ardens
189 orbis amor patrii, tu spes certissima Phoebi,
190 qui reliquis spretas hac tempestate camenas,
191 Romulidas veteres imitans regesque potentes,
192 evehis ad solidos, felix patronus, honores.
193 Illae iterum tua facta canunt, tua nomina serae
194 commendant famae. Tali quoque foedere Musas
195 Amphitryoniades olim sibi junxit, easque
196 imbelles fortique manu, clavaque trinodi
197 et voluit sumptis defendere belliger armis.
198 Aonidas contra sua facta celebria libris
199 reddere et aeternis jussit committere saeculis.
200 Ergo patrocinium doctarum mite sororum
201 cum bene susceptum, numquam , clarissime princeps,
202 abjicias, digno at semper tuearis honore :
203 si vacat hos etiam clementi fronte libellos
204 accipe, clementique manu sceptroque tuere.
205 Imperfecta quidem sunt omnia, principe tanto
206 nec sat digna reor. Mediis mea puppis in undis
207 errat adhuc, vix ausa vias sperare secundas,
208 aut sibi felices certo promittere cursus.
209 Sed tua si bonitas vultu mihi prona sereno
210 faverit, ut tuto pacata per aequora ferri
211 nostra carina queat, laetosque attingere portus :
212 forsitan et aura meos olim quoque libera fastos
213 cernet, et ex illis etiam tua facta domusque
214 nomen, et accipient aeternae munera famae.
215 Ergo novenarum spes et tutela sororum
216 ut vivat, valeatque diu pulcherrimus heros,
217 perge, precor, Lachesis niveo de stamine longa
218 ducere fila manu, vitam ne principis umquam
219 nigra tenebroso contristent licia rhombo.

II

NATHANIS CHYTRAEI SILVARUM LIBER SECUNDUS.

(1408 vers)

MEMORIAE ILLUSTR. DOROTHEAE, DANORUM REGIS FRIDERICI I. FILIAE
ET CONJUGIS D. CHRISTOPHORI DUCIS MEGAP.

SILVA PRIMA.

S2_1 v.1 Nuntia fama meas postquam pervenit ad aures,
2 Dorotheae obitum memorans, viduique mariti
3 lamenta, et fratrum gemitus, lacrimasque sororis
4 sidereae : attonitus primo sine mente sonoque
5 dirigui penitus. Quid enim, dumpublicus omnes
6 excruciat plangor facerem ? Numne unus acerbo
7 integer a luctu, nullos in corde dolores
8 sentirem immitis ? Non sunt ita ferrea nobis
9 pectora, qui colimus faciles ante omnia Musas :
10 non animi usque adeo ingrati, Charis ipsa salubri
11 quos alit ambrosia, quos ipse informat Apollo.
12 Obstupui fateor, nec enim pudet ; insuper idem
13 confiteor, solitis me aptantem carmina plectris
14 defecisse animo : cum nec conatibus esset
15 aequa meis, quam prae reliquis constanter amavi
16 Melpomene, in nostras quondam officiosa Camenas,
17 nec solito flueret mihi vena operosa liquore,
18 nescia ventosos efflare ex tempore versus,
19 nescia venalem invitis obtrudere palpum,
20 nescia prostibulis castas aequare puellas.
21 Ergo mihi dubio haec melior sententia visa est,
22 nil potius, quam jejune de funere tanto
23 dicere, et ingenii culpa, nomenque decusque
24 deterere eximiae virtutibus heroinae.
25 Id quod grande nefas veteres quandoque putabant.
26 Haec agitanti animo ambiguo, sacer ille Machaon
27 improvisus adest, mihi qui mandata benigni
28 principis exponit paucis pro tempore verbis :
29 Quis ego, ceu subita afflatus, vi numinis, aura,
30 sensi equidem insolitum recreata in mente vigorem,
31 ipsaque Melpomene, facili jam blandior ore,
32 me vidit, praeiensque suis mihi sedula verbis,
33 cunctanti et trepido, sed non injussa canenti,
34 talibus ora modis, pridem exspectata, resolvit.
35 Sicne igitur regum suboles pulcherrima, sicne
36 Doreothea jaces, longe formosior olim
37 flore rosae ; nunc afflatis pallentior aura
38 brumali foliis, nec te sanctissima vita,
39 et pudor et probitas, sed nec querimonia fratrum,
40 vota viri, miseranda piae lamenta sororis

41 te poterant servare tuis, et pellere mortem ?
 42 Fundite Varnigenae lacrimosa melismata cycni.
 43 Nympharum decus occubuit, quas Cimbrias ora,
 44 Dania quas vasto late circumflua ponto,
 45 Vandala quas tellus merito veneratur honore.
 46 Scilicet huic veterum paucis virtute secundus
 47 Rex genitor Fridericus erat, quem Balthica regna
 48 agnovere patrem, cui paruit ultima Thule.
 49 Fundite Varnigenae lacrimosa melismata cycni.
 50 Doreothea jacet, dignam isto nomine quae se
 51 praestitit, aeterni regis ter nobile munus ;
 52 cara ipsi, studiosa viri, studiosa suorum,
 53 munifica in tenues, et iniquae sortis egenos,
 54 imprimisque gregem miserum, cui maluit omni
 55 prodesse officiosa modo ; quam sponte novorum
 56 more tyrannorum laceram deglubere plebem.
 57 Fundite Varnigenae lacrimosa melismata cycni.
 58 Doreothea jacet, soror illustrissima fratrum,
 59 Cimbriacae qui sceptrum gerunt sublimia gentis,
 60 conspicui virtute duces, meritisque verendi.
 61 Quos inter quis non primo dignetur honore
 62 heroem, a Christo memorabile nomen habentem,
 63 heroem, cujus nullo laus desinet aevo,
 64 inclita Maenaliam dum Dania surget ad arcton,
 65 dum vasto excipiet Boream Norvegia tractu,
 66 sulfurea horribili dum diffluet Hecla ululatu.
 67 His etenim rex jura dedit, pietatis amore
 68 eximius, patriaeque pater, columenque bonorum
 69 dictus, adhuc memori quorum sub pectore vivit.
 70 Fundite Varnigenae lacrimosa melismata cycni.
 71 Doreothea jacet, soror ornatissima cari
 72 fratris Joannis, veteri virtute fideque
 73 qui celebris, populum lucrosa in pace gubernat,
 74 canitieque sua et merito venerabilis ipsis
 75 regibus est, viridique vicens crudaque senecta,
 76 exigit innocuam dux strato in caelibe vitam,
 77 unis intentus precibus, patriaeque saluti.
 78 Fundite Varnigenae lacrimosa melismata cycni.
 79 Doreothea jacet, soror inclita fratris Adolphi,
 80 Martigenae herois, nulli virtute secundi :
 81 Doreothea jacet, soror optatissima votis
 82 Elisabeta tuis, quae nunc quoque vestibus atris
 83 obsita, sidereos lacrimis corrumpis ocellos,
 84 atque incredibilem fers aegro in corde dolorem.
 85 Quin tecum lugere facis, cum cive colonos,
 86 insignes urbes, villas, rura, oppida, pagos,
 87 et populi tota cum nobilitate magistrorum,
 88 insignesque aulae proceres, Roseique Lycei
 89 doctores, juvenesque pios, tecum ipse maritus
 90 magnus Udalricus maesti dat signa doloris
 91 pullatus. Sed nec similis tibi filia, felix
 92 Arctos regina plagae ; sed nec gener ipse
 93 rex Fridericus, avi referens optabile nomen,
 94 absistent lacrimis, communis tempore luctus.
 95 Fundite Varnigenae lacrimosa melismata cycni.
 96 Omnibus illa quidem lacrimabilis occidit una,
 97 sed nulli lacrimabilior quam compare taeda
 98 cui conjuncta fuit, cum quo, si fata dedissent,

99 exigere aetatem longaeva in pace placebat.
 100 Hic ille est dux Christophorus, juvenilibus annis
 101 integer, at miserum celans sub pectore vulnus :
 102 Christophorus Phoebos carus, Megalepolis Arcto
 103 quem vicina colit, votisque ardentibus optat,
 104 mutet ut omnigenos ducis in nova gaudia luctus.
 105 Fundite Varnigenae lacrimosa melismata cycni.
 106 Christophori ducis occubuit carissima conjunx :
 107 delectique vices fratris gemis, optime princeps
 108 Joannes Alberte, tuis circumdate natis.
 109 Heruleae nec flos gentis dux Carolus aegro
 110 temperat a luctu, carum dum funera cernit
 111 ducere germanum, nihil est quo carius illi,
 112 nil optabilius, nil toto antiquius aevo.
 113 Fundite Varnigenae lacrimosa melismata cycni.
 114 Cimber et undisoni jam flebilis accola Varni
 115 quid cessas tepidos lacrimarum fundere rivos ?
 116 Doreothea jacet quondam vestra inclita princeps,
 117 vestrarum custos domuum, tutela focorum,
 118 supplicibus facilis, cunctis venientibus aequa,
 119 feminei generis decus, exemplumque perenne :
 120 ornamenta animi, atque auro magis aurea virtus,
 121 quam priscis fecere parem, multisque priorem.
 122 Fundite Varnigenae lacrimosa melismata cycni.
 123 Doreothea jacet princeps nostro optima saeclo,
 124 jamque illi haud solito diffulgent labra rubore,
 125 clausa superciliis, quondam radiantia, torpent
 126 lumina, pallentes vigor omnis deserit artus.
 127 Quin illa moriente, simul moriuntur honores
 128 silvarum, terraeque decus : scelerata pruina
 129 omnia deformat, glaciesque et nubila passim
 130 regna tenent, tumidis insurgit fluctibus aequor.
 131 Fundite Varnigenae lacrimosa melismata cycni.
 132 Dum philomela silet, lugentque atrata columbae
 133 funera, et Alcyones scopulos, et litora circum
 134 triste sonant, stagnisque imis se mergit hirundo,
 135 nec gemere arenti desistit turtur ab orno.
 136 Dum Delphin fugit, et luctu tabescit amaro,
 137 atque imo Oceani plorant sub gurgite phocae.
 138 Fundite Varnigenae lacrimosa melismata cycni.
 139 Flebilibusque choro nympharum haec dicite verbis,
 140 nympharum, quae velivolae pendentia Balthes
 141 pumice tecta tenent, lateque sedilia complent
 142 vitrea, ubi rapido centum undique flumina motu,
 143 centum amnes coeunt. Hic illis dicite cycni,
 144 ut carmen, lugubre canant, miserabile carmen
 145 ut repetant, iterentque adeo, quod mobilis aura
 146 differat in varias mundi quadruplicis oras.
 147 Sed satis indultum est lacrimis, vehementior aequo
 148 non debet dolor esse viri. Nec luctibus illa
 149 indiget, usque adeo sancte, placideque pieque
 150 quae supremam animam posuit, votisque profusis
 151 ingemuit Christum, cui verba novissima dixit,
 152 et cui Christus amor, Christus decor, omnia Christus.
 153 Sistite Varnigenae lacrimosa melismata cycni.
 154 Olim tempus erit, quod nec procul auguror esse,
 155 quando illa exuviis, Christo donante, receptis,
 156 marmorei exhibit gaudens e fornice claustrum,

157 cumque Deo aeternas, non morti obnoxia, luces
 158 exiget, angelicae par majestate cohorti.
 159 Sistite Varnigenae lacrimosa melismata cycni.
 160 Scilicet ut riguas quae complent lilia valles,
 161 ut violae, aut foliis ut Paeonis herba tenellis
 162 intereunt brumae adventu, penitusque putrescunt ;
 163 verum ubi sol novus exoritur, rediitque novum ver,
 164 tum redeunt horti pulcherrima sidera flores,
 165 amissumque decus telluri afflatur, ut illa
 166 jam nitidas ornata comas arrideat aethrae :
 167 haud aliter vacuis illata cadavera bustis
 168 non sopor aeternus, non mors aeterna coercet ;
 169 justitiae cum sole eadem quandoque resurgent
 170 integra, et innatae nil prorsus habentia labis,
 171 ut mox perpetuae ducant exordia vitae.
 172 Lux eadem raptam tibi reddet Doreotheam,
 173 restituetque suis, qui restituentur et illi,
 174 ut pariter regno numquam intereunte fruantur.
 175 Sistite Varnigenae lacrimosa melismata cycni.
 176 At tu, Melpomene, ante omnes mihi cara Camenas,
 177 quaeso haec, en lacrimis perfusa melismata nostris,
 178 sume tibi, laetaque manu vultuque tuere,
 179 et nebulas tenebrasque omnes a versibus arce
 180 diva meis, rapidi ne filia temporis aetas,
 181 aut rubigo illos arrodant dente maligno,
 182 obducens laceris inopina obliviam chartis.
 183 Fac potius tanti et tam clari pagina custos
 184 nominis, ut vita sine fine superstite vivat,
 185 atque ita Doreotheae omnem laus impleat orbem.
 186 Sistite Varnigenae lacrimosa melismata cycni.

MEMORIAE ILL. ET OPT. PRINCIPIS, DN. JOANNIS ALBERTI, DUCIS MEGAPOLITANI.

SILVA II.

S2_2 v.1 Ergo ego perpetuas posthac iterabo querelas
 2 regia fata gemens ? Ergo mihi carminis una
 3 materies lacrimae ? Sat jam mea pectora, sat jam
 4 exhaustas maduisse genas oculosque rubentes
 5 credideram, cum Dorotheae maestissima nuper
 6 funera plorasset ; sed enim constantia rebus
 7 quae sit in humanis, tenui quam pendula filo
 8 magnatum quoque vita tremat, nutetque cadatque,
 9 hinc quoque perspicuum est. Nuper dux optimus una
 10 Dorotheae exsequiis aderat, sanusque valensque :
 11 nunc jacet exanimis, tumuloque imponitur ipse.
 12 Hic tenor, hic cursus miseri miserabilis aevi est.
 13 Ergo Megalburgae clarissima gloria gentis,
 14 Joannes Alberte, jaces, morboque gravatum
 15 nec pietas, nec te potuit pulcherrima virtus
 16 incolumen servare tuis ? Nil vota piorum,
 17 nil castae valere preces, gemitusque profusi ?
 18 Quin tecum nobis bona tot, bona tanta perirent ?
 19 Quid prius hic ? Quid posterius ? Quid denique dicam ?
 20 Quid taceam, attonitusve querar ? Crudelia dicam
 21 sidera ? Crudeles Parcas ? Crudelia fata ?
 22 Quae tantum rapuere decus columenque suorum.

23 Fundite Varniades lacrimarum flumina Musae.
 24 Quando ego jam vestris carmen lacrimabile ripis
 25 accino semianimis, vestroque in margine maestum
 26 demittit Rosa maesta caput, croceique capilli
 27 languore arescunt et odor dilabatur omnis.
 28 Largifluas quis enim lacrimas hoc tempore sistat ?
 29 Dum princeps generosa ducem, quem ardebat amore
 30 mirifico, gemit, et tumulis jam condit avitis :
 31 quin fletu et lacrimis paene exanimata, dolori
 32 succumbit, nulloque domat suspiria fine.
 33 Fundite Varniades lacrimarum flumina Musae,
 34 dum proles animosa ducis, duo lumina gentis
 35 heruleae, veterumque ducum de stemmate flores
 36 magnanimi heroes, patrem fratremque profusis
 37 deplorant lacrimis, dum maximus Udalricus,
 38 jampridem vestri constans defensor honoris
 39 cum consorte dolet, simul et Megalepolis omni
 40 dat lacrimas gemebunda loco, dum Balthicus ipse
 41 murmurat Oceanus, dum concava saxa querelas
 42 Alcyonum resonant scopulique in vertice cano
 43 nescio quid queruli ingeminant lacrimabile mergi.
 44 Fundite Varniades lacrimarum flumina Musae.
 45 Occubuit bonus hic princeps, dux optimus ille,
 46 quem pietatis amor, praestans doctrina fidesque,
 47 virtutumque decus cunctarum, et principe digni
 48 ornarunt laudum cumuli, quem docta lycea,
 49 templorumque sacrae, quem cum doctore cathedrae
 50 patronum agnovere suum, quem musicus ordo
 51 protectorem habuit, qui profuit omnibus unus,
 52 et nulli, nisi forte sibi bonitate manumque
 53 munifica, nocuit, tellus quem Vandala patrem,
 54 custodem pacis placidum, populique salutis
 55 deflet, et interitu tanti ne principis atrae
 56 immineant clades, patriae studiosa, veretur.
 57 Fundite Varniades lacrimarum flumina Musae.
 58 Nec stirpem celebrate ducis, sat nobilis illa est,
 59 sat celebrata aliis. Aliena encomia jactent,
 60 propria quis desunt. Non istas inclitus umbras
 61 gloriolae, princeps, et quae non gesserat ipse,
 62 aut justo pluris facere, aut laudare solebat.
 63 Sed virtute sua niti, et memorabile nomen
 64 quaerere praeclarum vera ratione putabat.
 65 Ergo patre Alberto, matre infans editus Anna,
 66 (huic genitor Joachimus erat, celeberrimus ille
 67 Marchio, Caesarei diadematis arbiter olim)
 68 Musarum est gremio exceptus, castaeque Minervae ;
 69 ubera ei Pietas a primo praebuit ortu,
 70 ingressit mansum Bonitas, Clementia custos
 71 adfuit a teneris, movit Themis aurea cunas.
 72 Indole cumque adeo rara puerilibus annis
 73 conspicuus foret ; hae pariter, velut agmine facto,
 74 erudiere animum varia virtute, suisque
 75 quaelibet hunc studuit certatim extollere donis.
 76 Fundite Varniades lacrimarum flumina Musae.
 77 Ille ubi floridulas prima lanugine malas
 78 texerat, Aonium Viadri concessit ad amnem,
 79 excolere ingenium, doctosque audire paratus.
 80 Non ignarus opes animi praestare caducis

81 incertisque bonis. Saepe illum candida Phoebe
82 dum reliqui ludo indulgent, aut pocula siccant,
83 invigilare libris posita de nocte lucerna
84 vidit, et arcanos Sophiae penetrare recessus.
85 Saepe illum sol Eois paulo altior undis,
86 stertere dum multis melli est, perdiscere vidit
87 quidquid habent veterum historiae, vel Tullius ille
88 Romani nitor eloquii, quem sedulus haustum
89 imbibit, huic studio nec seris defuit annis.
90 Fundite Varniades lacrimarum flumina Musae.
91 Dilexere omnes juvenem hunc : tulit ille frequenter
92 Palladii Dux sceptrum chori. Non inscius illud
93 testatur Viadrus, docti testantur ibidem,
94 huic ultro qui jura sui committere coetus
95 conjunctis voluere animis. Qui dignior illo
96 tum foret, in reliquis est nemo repertus, honore.
97 Interea pater, exemptus mortalibus oris,
98 astra petit : legitur princeps in flore juventae
99 unanimes voto, patrii successor honoris,
100 egregius princeps, cujus modo funera fusis
101 prosequimur lacrimis. Ergo ille umbracula linquens
102 Musarum, in lucem prodit, populique coronam,
103 jampridem percepta usu praestare paratus.
104 Sed gravia esse solent magnarum exordia rerum,
105 difficilesque aditus primo surgentibus obstant.
106 Joannes Alberte, tuos sic turbida fasces
107 tempestas primo excepit, Sphinx impia quando
108 interimens passim purae pietatis honores,
109 hic quoque speratas cuperet sibi figere sedes.
110 Praeterea Laestrygoniae vis dira catervae,
111 jura sibi quae nata negat, quaeque arrogat armis
112 omnia, turbabat crebris haec arva rapinis,
113 rara coercebat censura aut poena rebelles.
114 Dux igitur commissa sibi cum sceptrum teneret,
115 acriter his studuit quamprimum occurrere monstris.
116 Sphinx citius pulsa est, istas quam invaderet oras :
117 et qui jura aliis jampridem scripta putabant,
118 non sibi ; legitimis fasces submittere habenis
119 compulsi sunt, et domiti. Nam principis illo
120 tempore, praesidio leges munire forique
121 judicia, et motas juste componere lites,
122 unica cura fuit. Sic vis ejecta verendis
123 legibus Astraeaeque locum concessit avitum,
124 fundite Varniades lacrimarum flumina Musae.
125 Ille idem princeps gnaro cum pectore nosset,
126 non frustra coiisse homines, non agmina casu
127 finitimas habitare domos, urbesque tenere,
128 sed pietas ut vera suos extendere fines,
129 alter et alterius posset sermone doceri,
130 qua caeli se pandat iter sedesque beatae :
131 templorum cathedris fidos vigilesque ministros
132 imposuit passim : quin ne quandoque deessent
133 doctores, aut qui populo virtute praeirent,
134 adjunxit templis ludos, ludisque magistros
135 praefecit, pueros qui prima elementa docerent
136 linguarum, vitaeque darent documenta beatae.
137 Crebraque distribuit docili munuscula publi,
138 discendi illecebras, irritamenta laborum.

139 Fundite Varniades lacrimarum flumina Musae.
140 Ille, ille occubuit, cui templa ornata venuste,
141 bibliotheca etiam variorum instructa librorum
142 codicibus multum sese debere fatentur :
143 quam nunc exanimem veluti lugere putares,
144 omnia cum solito videas spoliata nitore.
145 Fundite Varniades lacrimarum flumina Musae.
146 Ille ille occubuit, quem vestra Academia, pridem
147 quae exanimi similis plane deserta jacebat,
148 instauratorem agnoscit, fidumque patronum.
149 Hic sumptus cum fratre graves impendit, et ultro
150 annua constituit Rosianis praemia Misis,
151 atque adeo nobis vobisque haec otia fecit.
152 Hic doctos, cum fratre, viros hinc inde vocavit,
153 qui linguas artesque omnes cum laude docerent.
154 Et Sophiae arcanas penetrarent mente latebras.
155 Quos ipse haud raro hic praesens audire solebat,
156 exemploque suo docilem inflammare juventam.
157 Tum primum Varnus fontis sentire liquorem
158 Castalii, fluviisque suum conjungere nomen
159 nobilibus coepit ; tunc isto in litore Pallas
160 ducere cum Nymphis ad Phoebi plectra choreas
161 primum visa fuit, tum munera vestra propinquas
162 implerunt gentes, urbes, et Balthica regna.
163 Fundite Varniades lacrimarum flumina Musae.
164 Ille ille occubuit, qui non modo tempore pacis,
165 officiiisque togae, justis sed et inclitus armis,
166 consiliisque fuit, quae bella gerenda requirunt,
167 si pietas patriaeque salus ea posceret. Acre
168 Mauritius, belli fulmen, tremor unus Iberi,
169 non negat hoc, consobrino huic qui foedere junctus,
170 communem patriam, jus relligionis, et ipsam
171 libertatem auro potioem, et vincula pacis
172 asseruit bello, auspiciis felicibus orto.
173 Hoc etenim summo posita in discrimine rerum
174 Teutonia, et Papae, et Hispani militis imis
175 faucibus erepta est, Passavo et foedere pacto,
176 insperata quies rediit, cui nunc quoque nostra
177 otia et illaesae debemus commoda vitae.
178 Salve, magne heros, iterum dux inclite salve,
179 tu bello praestans, invictus pace fuisti :
180 Principe te patriis decus admirabile terris
181 contigit, aeterno quod numquam abolebitur aevo.
182 Fundite Varniades lacrimarum flumina Musae.
183 Extollant arces alii, venasque metalli,
184 succineas aliis libeat laudare corollas,
185 admirentur opes alii, fossasque profundas
186 aggeribus cinctas, vicinosque arcibus hortos :
187 nil ea sunt collata tuo, dux optime, dono,
188 quo patriam bonus ornasti, gentesque propinquas,
189 pro quo posteritas sero comitata nepote
190 perpetuas repetet longo tibi tempore grates.
191 Haec bona sunt aeterna tuis quae sponte dedisti ;
192 momento tantum illa brevi mortalia durant,
193 corporeis socianda bonis, vitaeque caducae,
194 non animo aut menti, mortis quae spicula nescit.
195 Salve iterum, divine senex, tu regis imago
196 siderei bonitate tua meritisque fuisti.

197 Nam tibi neglectis aliis, caelestia primo
198 dona propagare, et populis ostendere Christum,
199 conservare artes, ludosque et templa tueri
200 cura fuit. Jactent alii se milite cinctos,
201 armataque manu populos, vi regna tenere,
202 doctrinam curare nihil : mihi proximus ille
203 dilectusque Deo, et populis quoque creditur heros,
204 exemplis, dux magne, tuis si motus, et ipse
205 sit sapiens, Musisque libens sua limina pandat,
206 largiter et sacras accendat honoribus artes.
207 Non decus est aliud non veritus ornamentum,
208 quam patria aut regio docti si principis, una
209 et Sophiae et Christo placida alcedonia curet,
210 doctrinasque sacras aliis communicet oris.
211 Cedite Cecropii, Spartani cedite reges,
212 hic alius princeps, qui non mortalia tantum
213 dona dedit populo, leges et jura per orbem,
214 sed vitae caelestis opes, et gaudia, vobis
215 plane ignota tulit. Late quin gentibus idem
216 finitimus, vel quos aetas quoque postera mittet,
217 muneris est auctor tanti : date lilia plenis,
218 Pierides, calathis, tam sancti ad principis urnam,
219 et querulis maestas linguis iterate querelas.
220 Nunc columen vestrum occubuit, tutorque fidelis,
221 quo vivente animi tantum superesse solebat.
222 Sed nunc, heu variae nimia inconstantia sortis,
223 heu nunc in tenues spes illa evanuit auras.
224 Quando erit ut mitis caeli indulgentia talem
225 reddat in orbe duces ? Quae sidera rursus in uno
226 pectore tam raras cumulabunt aurea dotes ?
227 Hoc pietas, amor in populum, prudentia, virtus,
228 magnus in adversis animus, mitisque secundis,
229 hoc animi bonitas, facundae gratia linguae
230 justitia hoc, pudor et gravitas, et larga juvando
231 dextera, perpetuas habuere in principe sedes.
232 Hoc duce turbatis rediit pax aurea terris,
233 pax gemmis potior. Crevit reverentia recti,
234 praedonum agricolae nullas timere rapinas :
235 omnia quid repetam ? Nihil hoc pretiosius ipso,
236 nil melius vidit gens Vandala, perdidit umquam
237 nil melius toto lacrimans Megalepolis aevo.
238 Scilicet hoc, hoc illud erat, quod turbine nuper
239 horribilo celsas rumpi et procumbere turres
240 vidimus : hoc hoc illud erat, quod vidimus aethram
241 sub noctem ardere, et tremulas dispergere flammam.
242 Nec mirum. Quin fama meas cum perculit aures,
243 magnanimum cecidisse duces, simul omnia mecum
244 tristari et veluti lacrimas effundere sensi.
245 Te vivente, novis ridebant gramina campis,
246 omnia florebant. Cantus dulcedine captae
247 ducebant Charites per florea prata choreas,
248 carmina non deerant nobis, non plectra sonora.
249 Te moriente, mori pariter natura videtur :
250 deficiunt avido pecori sua gramina, flores
251 rura negant solitos, ut nil nisi tristia fas sit
252 cernere, nec tanto finem sperare dolori.
253 Fundite Varniades lacrimarum flumina Musae.
254 Saepe ego jam vestras tacite digressus ad undas,

255 mane novo, tantis quaerens solacia curis,
256 praeter lamenta, et tristes audire querelas
257 nil potui. Ferrugineo velatus amictu
258 pallidus Eois Phoebus surgebat ab undis :
259 affixus ripis cursus frenarat aquarum
260 Varnus iners glacie, durisque immobilis undis.
261 Ad laevam insueto strepitabat gutture corvus,
262 Varnigenae quin quotquot ibi pascuntur olores,
263 proxima flebilibus complebant saxa querelis,
264 mussabant fulicae, deserto in litore cornix
265 sola ibat, tamquam attonito confecta dolore ;
266 in stabulis armenta boum pecudesque gemebant,
267 graminis oblitae, argutis in vallibus Echo
268 saepe vocata mihi, saepe exaudita vocanti,
269 jam praeter solitum verborum oblita silebat.
270 Singula quid repetam ? Nil non lacrimabile vidi,
271 nil fletu vacuum. Angusto sic pectore tristis
272 exieram, tristes repetebam tristior aedes,
273 haec mecum tacitus, mutata quid omnia cerno ?
274 Anne etiam superos defuncti funera tangunt ?
275 Quid portenta volunt ? An non aliquando redibit
276 qui vigor ante fuit campis avibusque canoris ?
277 Sed redeat certe, rediturus ut esse videtur :
278 saepe reviviscit jam mortua frigore malva,
279 annus ubi cum sole redit : sic cernis anethum,
280 sic violas, tenerasque rosas, apiumque renasci :
281 sed simul atque homines miseros pariterque potentes
282 mors semel abripuit, terrisque abscondidit atris ;
283 tum reditus via nulla patet, tum ducere longos
284 cogimur occluso saxi sub fornice somnos.
285 Sed pietas meliora docet. Non corpora casu
286 nimirum consumpta mori : divina voluntas
287 hic regit, aeterna disponens omnia lege.
288 Nec plane in nihilum, quod nil fuit ante, redire
289 credimus, aeternae sperantes gaudia vitae.
290 Sic noster quoque dux, nostro dux optimus aevo,
291 sortis temptator variae, post mille laborum
292 multiplices curas, sceptri mortalis honores
293 deposuit mandante Deo ; nec funere totus
294 interiit : superas animus delatus ad arces,
295 heroas sanctos inter regesque triumphat.
296 Hic sacer Ezechias, hic Constantinus, et ipse
297 Isaides hic psalmographus tibi, Carole magne,
298 junctus adest : noster proavis dux proximus astat,
299 et patri et socero ; multi illum lumine claro
300 circumdant caelique novos gratantur honores,
301 cumque ipso unanimis mundi deliria rident.
302 Vertite Varniades lacrimas in gaudia Musae.
303 Imprimis patrem geminis complectitur ulnis
304 Albertus puer illustris, qui praevis arcis
305 regna adiit superae, multum lacrimante Borusso.
306 Hic ille Albertus, quo se jactabat alumno
307 Herula gens, hic ille patri matrique voluptas,
308 spes patriae, magni proles generosa parentis,
309 tum fortunati, propria haec si dona fuissent,
310 quae tantum Deus ostendit mox abstulit olim ;
311 sed vere jam felicis, cui redditus ille,
312 post aeternum aderit miro devinctus amore ;

313 quem non ulla dies, non fati injuria solvet.
 314 Vertite Varniades lacrimas in gaudia Musae.
 315 Ad vos nunc rediit tanta exspectatio, tantae
 316 laudis honos, o Heruleae nova sidera gentis,
 317 egregii juvenes, qui partim funera fratris
 318 jam gemitis : partim patrem ploratis ademptum.
 319 Heredes vos virtutum fratrisque patrisque
 320 esse decet, quin esse patet, semperque futuros
 321 credibile est patriae, et cunctis quis patria curae.
 322 Vertite Varniades lacrimas in gaudia Musae.
 323 Imprimis tamen eximii ducis inclita virtus,
 324 et bonitas Udalrici senioris, amicam
 325 solatur patriam, Varnique inhibere querelas
 326 incipit, et lacrimas sensim sedare profusas.
 327 Aspicias ut celso praeclara e corpore virtus
 328 emicet ; ut patrio summa omnia spondeat orbi.
 329 Fallor an Aonidum cultrix Academia, divae
 330 ejusdem auxilio, sperato in flore, fruetur ?
 331 Christe, tuum defende ducem, coeptosque labores
 332 dirige, ut illorum nullo laus concidat aevo.
 333 At tu, magne heros, (quoniam te regia caeli
 334 jam tenet, et coram stellis fulgore coruscas
 335 mortalesque vides secunda e parte dolores)
 336 aeternum, dux clare, vale, et seu sidera lustras ;
 337 seu legis aeternos invicto pollice flores ;
 338 seu celebras sine fine Deum ; en maerentis alumni
 339 carmina, fortassis nimium properata, verendos
 340 ut manes, cineresque diu testentur amatos,
 341 accipe supremum munus : meliora deinceps
 342 forte et plura canam, quando tibi certa quotannis
 343 dona feram, tumulosque tuos mea carmina flebunt,
 344 cum gemitus Pietas, lacrimas Constantia fundet ;
 345 purpureasque rosas tumulo, spicasque cilissas
 346 insperget Bonitas, tristes Pax maesta cupressos,
 347 et feret evulsos ululans Clementia crines,
 348 immemoresque tui nos nulla oblivia reddent.
 349 Has ego Rectoris jussu procerumque coronae
 350 effudi lacrimas fidi monumenta doloris
 351 publica ; vos mecum suspiria crebra, frequentes
 352 fudistis gemitus, quin nunc quoque funditis, orbi
 353 praesidio tanti herois, tantique patroni.
 354 Ne tamen immodico cruciemus pectora luctu,
 355 sit modus in gemitu, cessent suspiria, finis
 356 sit lacrimis, studiosa cohors, finisque querelis.
 357 Non etenim decet hunc fletu lugere perenni,
 358 cui Deus ipse omnes lacrimas abstersit, et inter
 359 quem sanctos caeli heroas divosque locavit.

DIXI. RECITATUM IN FUNERE ILL. PRINCIP. MORTUI. AN. 1576. 12. FEBR.

PROXENIA VARNI. D. HENRICO BARONI STAREMBERGIO,
CAESAREO IN MEGAPOLIN LEGATO.

SILVA III.

S2_3 v.1 Austriadum decus, et lumen virtutis avitae,
2 magne Baro, veniane tua mihi posse licebit

3 pandere ? Fatidico nuper quae carmine nymphis
 4 hic pater e medio memorabat flumine Varnus,
 5 cum te, collegamque tuum, mandata ferentes
 6 Caesaris, optata vidit consistere ripa.
 7 Quin licet. Heroum doctis exculpta Camenis
 8 pectora, nil feritatis habent, quae candor, et ardens
 9 sincerae bonitatis amor sic mollit, ut illis
 10 vivat in immenso nil plane humanius orbe.
 11 Ergo age, dilectum Musis caput, annue coeptis,
 12 tempus erat, sol Astraeae quo lancibus instans,
 13 pronior occiduo se demittebat Olympo,
 14 cum subito exsultans fremitu, caput extulit undis
 15 Varnus ovans, vinctusque comas viridante corona
 16 arduus emicuit, crescente et flumine major,
 17 in mare caeruleum, cursu sese intulit acri,
 18 stant circum nymphae attonitae, mirantur euntis
 19 murmur, et assuetas superantia flumina ripas.
 20 Ipse etiam pater Oceanus, quem Balthica frenant
 21 litora, miratus : "Quo te tam turbidus infers ?
 22 Quid laetaris ? ait, quae nam sibi cornua sumit
 23 impetus ille tuus ? Quid fluctibus aequora turbas ?
 24 Fare age." Cui Varnus contra : "Quin desine posthac,
 25 desine mirari insolitos, pater optime, cursus.
 26 Causa patet : mihi corda micant, nova gaudia pectus
 27 vix capit, ad justos desunt mihi brachia plausus.
 28 Quod magis est, ipsum videor jam vertice caelum
 29 tangere, nobilibusque meum conjungere nomen
 30 gestio fluminibus. Non me Pactolus arenis
 31 turbidus aurifluis, non Ganges vincet amoenus.
 32 Scis, pater, ut regio, noster quam dividit amnis,
 33 quamque Megalburgi heroes cum laude tuentur,
 34 pertulerit multos belloque et peste labores.
 35 Scis pater, ut nostrae fundatum in margine ripae,
 36 tot mala pertulerit, tot dura pericla Rosetum,
 37 duxerit et miseros quonam discordia cives.
 38 Nunc optatus adest tandem Starnbergius heros,
 39 Caesaris auspiciis, quin ipso a numine missus,
 40 temptet ut exortas placide componere lites.
 41 Sit felix et fausta dies, vir maximus ille,
 42 qua novus huic hospes succedere dicitur urbi.
 43 Affulgere meae nunc spes optata saluti
 44 incipit, et fessis finem promittere rebus.
 45 Quam laetor, venisse virum ! Qui lampadis instar
 46 Phoebeae exortus, regioni apparuit isti,
 47 principibusque meis, et pressae cladibus urbi,
 48 cum tenebris nubes abigens, vultuque sereno
 49 omnia promittens nostris felicia terris.
 50 Qua grates tibi voce canam ? Pulcherrime regum
 51 Rex, Regumque pater, Maxaemiliane, tuorum
 52 arbiter, imperiique caput. Tu maximus ille es,
 53 augustus parens, ad publica commoda natus,
 54 qui cunctas animo virtutes, plurima regna
 55 imperio jussisque adeo complecteris aequis.
 56 Hinc licet ingenti variorum mole laborum,
 57 curarumque gemas : non te tamen illa, tuumque
 58 affectum impediunt patrium ; quin me quoque laeto
 59 numine, sollicitoque juves mea commoda vultu.
 60 Ergo, magne pater patriae, spes unica saeculi,

61 vive diu, fascisque tuos, et sceptrum tuorum,
62 Turca simul, Moscusque ferox, et Parthus adoret.
63 Tu modo perge tuum claris extendere factis
64 nomen, et immensum comple virtutibus orbem,
65 sidereusque tuis caelo te laudibus infer.
66 Sed memor unde abii. Quonam laudabitur ore,
67 carmine quo, praestans animi Starnbergius heros ?
68 Nobilitate potens, et avito stemmate clarus."
69 Vix alio se Danubius jactavit alumno
70 splendidus, cujus rapidas hic natus ad undas,
71 accrevit sine labe puer, virtutibus annos
72 praeveniens. Illum propriis excepit in ulnis
73 Pallas ovans ; illum placido pulcherrima vultu
74 Melpomene vidit nascentem, amplexibus illum
75 Austriades, nymphae patriis fovere sub undis,
76 ad cunas duxere choros, et carmina blandis
77 accinuere modis Charitesque et dexter Apollo.
78 Vix Jove Creta suo, vix tantum Roma Quirino,
79 laetata est, quantum tanto se pignore tollit
80 Austria gens, quantumque suos hinc jactat honores,
81 et merito. Quid enim tanto praestantius exstet
82 heroe, ad veram laudem qui natus, et artes
83 ingenuas, teneris Musas dilexit ab annis.
84 Danubius mihi testis erit, mihi testis et Albis,
85 illum qui semper magnumque et magna sequentem
86 viderunt, alterque illi de germine myrti,
87 alter odorata velavit tempora lauro.
88 Hinc ille Aonii pulcherrima gloria fontis
89 eminent ante alios. Non illi Palladis artes,
90 et quae Socraticis olim latuere libellis,
91 ignota aut veterum sunt clara poemata vatum.
92 Non illi ingenium, facundae aut flumina linguae,
93 non fortuna deest, rebus spectata gerendis.
94 O quoties illum, Ligeris, Mosa, Sequana, Scaldis,
95 et Rhodanus sunt mirati ! Cum carmine ripas
96 arguto implevit meditans. Quam saepe Britannos
97 ipse suos Tamesis, tumido licet ore superbus,
98 illi postposuit : quam saepe et Tiberis et Arnus,
99 Medoacusque decus tantum invidere beatas
100 dilectisque Deo populis, quos alluit Ister,
101 ipse subinvideo, (veniam concede fatenti)
102 Austria magna tibi, tanto quae insurgis alumno
103 altius, et summis caelo te laudibus aequas.
104 Non tamen ingratus tibi sum, debere fatebor
105 me tibi, dum celsi moles amplissima mundi
106 stabit, et aeterno lucebunt sidera caelo.
107 Munere namque tuo, certam sperare salutem
108 incipio, finemque malis. Quin gratulor idem
109 Austria clara tibi ex animo, congratulor orbi
110 terrarum, imperioque tuo, invictissime Caesar,
111 de tali tantoque viro, qui divite praestans
112 eloquio, Cato consiliis, et Scipio corde,
113 Pompiliusque fide, regno et tibi consulit, ore
114 magnanimo prudens, magnis in rebus agendis :
115 in dubiis idem cautus, durisque periculis
116 intrepidus praesens animo, patiensque laborum.
117 Felix illa dies, quae nostris intulit oris
118 hoc decus et lumen. Salve, lux aurea, salve,

119 et felix ac fausta mihi, sine nube quotannis
120 concelebranda redi, nil te mihi gratius umquam
121 est ortum, visumque meae nil pulchrius urbi.
122 Illius adventu, puri lux aetheris ultro
123 clarior emicuit, blandae cecinere volucres,
124 arboribusque comae virides, et gramina prato
125 finitimis rediere locis. Quin compita, fontes,
126 et fora conspectu illius ridere putares,
127 tanta viri bonitas, tanta est in pectore virtus.
128 Sed laudes recitare omnes, res dicere gestas,
129 splendoremque sacri generis, patrumque priorum
130 nomina, virtutesque brevi describere versu
131 cur libet ? Eloquii hic mecum vis victa laborat,
132 vellicat et teneram dudum mihi Cynthus aurem.
133 Quin nostrae nil laudis eget Starnbergius heros,
134 doctrina et virtute sua, generisque vetusti
135 splendore insignis, toto et laudatus in orbe.
136 At nunc ante alios ego fortunatior amnes
137 laetitia exsulto, et certam jam spero salutem.
138 Tu nostrum, pater omnipotens, ne respue votum,
139 sis iterum miserae tandem placabilis orae,
140 sis satis innumeros pestis bellique labores,
141 sit toties flammis, et funera saeva tulisse,
142 sit clades tolerasse satis, tantosque dolores.
143 Fer, pater, auxilium fessis, firmamque quietem.
144 Sic iterum ripaeque meae, regioque virebunt,
145 flore bunt violae : gratos ego laetus odores
146 Balthica diffundam passim per litora, nostri
147 dulce melos cycni repetent, schola laeta resurget :
148 gaudebunt Musae : languens Rosa dulce rubebit,
149 et passim laeto ridebunt omnia plausu."
150 Haec bene si memini, vel non diversa, recensens
151 Varnus, arenosis iterum se condidit undis.
152 At pater Oceanus, promissam in pectora barbam
153 demulcens : "Laetemur" ait, vultuque sereno
154 gaudia laetantis. Quin tum quoque dicta referre
155 haec eadem tibi me voluit. Flos inclite saeculi,
156 et patriae tutela tuae, sidusque perenne,
157 more tuo, frontemque hilaris, mentemque serenus,
158 carmina non duro, quae mittimus, accipe vultu.
159 Dent alii gemmas, et pondera divitis auri :
160 haec ego jam, pariterque tibi me dedico totum,
161 forte olim meliora, manet si vita, daturus.
162 Sic tibi viventi feliciter omnia cedant,
163 sic tibi compositis afflictis litibus urbis,
164 ad patrios liceat laeto remeare penates,
165 conjugis in carae amplexus, et Caesaris aulam.
166 Rudigerus quoque dilectus tibi frater, et alter
167 Guntacorus, laeto incolumem te pectore, laeto
168 excipiant reducem vultu. Quos carmine quondam,
169 si mihi vita manet, tecum celebrabo, simulque
170 ex alto repetam vestrae primordia gentis.
171 Interea tu vive diu, sine fine modoque
172 Austriadum decus, et lumen virtutis avitae.

D. RICHARDO STREINIO BARONI, ET CAESARIS CONSILIARIO.

SILVA IV.

S2_4 v.1 Excellens virtute Baro, qui stemmata gentis
 2 Romanae, et veterum describis gesta Quiritum,
 3 nobilitate potens, et avitae gloria gentis,
 4 maximus ingenio doctrina maximus heros.
 5 Ecquid ubi aspicias ignotae carmina Musae,
 6 ignotamque manum, tacito mirabere vultu,
 7 et quid nostra velit sibi confidentia quaeres ?
 8 Quae turbet levibus tua summa negotia nugis.
 9 Parce tamen, generose Baro, non inscius error,
 10 non levis ambitio, tumidisve audacia buccis
 11 hoc, vir summe, jubet : tua quin pulcherrima virtus,
 12 ignea cui vis est, tua me sapientia victum
 13 huc rapit, egregioque tui succendit amore.
 14 Scilicet haec vis est, hi sunt virtutis honores,
 15 hic splendor doctrinae animi, vultusque sereni,
 16 nesciat ut tectus tacitis latuisse tenebris ;
 17 sed, velut excelsis sub noctem in turribus ignis
 18 emicet, ignotosque etiam fulgoribus aureis
 19 mirantes trahat, et summos inflammet amores.
 20 Praesertim si dux aliquis nova lumina cernens
 21 intendat digitum, multosque impellat eodem.
 22 Hic meus est David sincero pectore frater,
 23 hic mihi virtutesque tuas et mentis acutae
 24 praedicat ingenium, facundi praedicat oris
 25 eloquium, merita, et faciles sine crimine mores,
 26 munificasque manus, et veri signa favoris.
 27 Pro quibus aeternas tibi me quoque dicere grates
 28 quis debere neget, vatum qui munera norit ?
 29 Ob quae carminibus te nos celebrare canoris
 30 quis debere neget, vatum qui munera norit ?
 31 Ergo Venusinus quondam sua carmina vates
 32 ut Maecenati exhibuit, quando aurea saecula
 33 conderet Augustus toti venerabilis orbi,
 34 sic ego, dum sceptro Maxaemilianus avito
 35 aemulus Augusti, patriis creat otia terris,
 36 te veneror, fidum Musis Phoeboque patronum.
 37 Et tibi do sterilis non optima carmina venae,
 38 quae meliora favor tuus et clementia reddet.
 39 Cui Musas commendo meas, tu fratris amici
 40 quaeso patrocinium placido non abjice vultu,
 41 praesidioque tuo, et facili nos fronte tuere.
 42 Sic tibi concedat diuturnae tempora vitae
 43 rex superum, tandemque suis te sedibus addat,
 44 justitiae magnum meritis fideique patronum.

CAROLO DANCAEO, GALLORUM REGIS IN DANIA LEGATO.

SILVA V.

S2_5 v.1 En etiam caeli facies tibi, Carole, ridet
 2 insolito candore micans ; dum regis amici
 3 jussa obiens, gelidas Varni concedis ad undas,

4 mox Viadrum quoque visurus. Salve, optime, salve,
 5 Carole, Gallorum lumen, quem Dania summis
 6 annumerat populosa viris, quem laudibus ornant
 7 magnanimi reges. Iterum, clarissime, salve,
 8 Gallorum Dancaee decus. Tu dignus honore
 9 quem summo afficiant Musae, quem carmine Phoebus
 10 ipse canat ; tu pestiferas componere lites,
 11 aversosque animos tu conciliare laboras
 12 eloquio, et celsae mirandus acumine mentis.
 13 Nil bello magis invisum mortalibus aegris,
 14 pace nihil melius, nihil est optatius orbi,
 15 Musaeoque gregi imprimis, quem bella fatigant,
 16 pax recreat, viridemque jubet sperare coronam.
 17 Pacis amatores igitur quis nolit amare ?
 18 Quis dignos quovis illos non credat honore ?
 19 Salve iterum, Dancaee meis carissime Musis.
 20 Vade bonis avibus, felici sidere causam
 21 pacis age ex animo, laetusque revertere nobis,
 22 praetendens oleae ramum, sperataque dudum
 23 foedera divulgans, sero servanda nepoti.
 24 Fallor an ille dies properis pulcherrimus alis
 25 advolat, et laeto denuntiat otia plausu ?
 26 Conflaturque novus ferrata e cuspide vomer ?
 27 Fallor an obductos ferrugine conspicio enses
 28 vaginae adnasci ? Fumoso pulvere nigras
 29 obduci galeas, quas turpis aranea velo
 30 contegat, iratusque omni Mars exsulet orbe,
 31 auxiliis, Dancaee, tuis. Te dextera Regis
 32 protegat aetherei, seros ut Nestoris annos
 33 contingas, placida felix viridisque senecta,
 34 ducat et aeternos pax dudum optata triumphos.

ENCOMIUM PACIS. AD EUMDEM CAROLUM DANCAEUM.

SILVA VI.

S2_6 v.1 Urbe Sidenorum dum tu, Dancaee, moraris,
 2 summe vir, et meritis nostro clarissime saeclo ;
 3 dum Viadrus, Dancaee, tui miratur acumen
 4 ingenii, fandique artem, et sine crimine mores,
 5 excelsumque animi robur, nil vile moventis ;
 6 dum proceres te vel primo dignantur honore,
 7 intentum paci, et cupidum componere lites ;
 8 (quas regum turbasse animos tot Balthicus annos
 9 ingemit Oceanus, plangunt contermina regnis
 10 litora) dum, Dancaee, istis bene consulis oris,
 11 ceu patriae et nobis ad publica commoda natus,
 12 hic ego, quem meritis nuper, vultuque benigno
 13 fecisti, Dancaee, tuum ; tibi carmina pango
 14 in redivisiva vota tuos, facilesque laborum
 15 successus ; pacique novae contexo coronam
 16 Palladium, quam tu placido bonus accipe vultu.
 17 Ecquis enim non pacis amet venerabile nomen,
 18 qui bellum, heu minime bellum, qui proelia norit.
 19 Cladibus innumeris totam evacuantia gentem,
 20 et mare naufragiis implentia, caedibus urbes,
 21 et stupris furtisque domos, et sanguine campos.

22 Aurea pax, divasque inter pulcherrima salve,
 23 virginibus comitata tuis, pax aurea salve,
 24 salve iterum, sperata diu, votisque petita
 25 innumeris ; tales dum fundo ad sidera voces
 26 hactenus. O quando tandem pax alma revises
 27 finitimos reges, et maestas cladibus urbes ?
 28 Quando erit illa dies, tuus ut pax optima fulgor
 29 depulsis orbem tenebris, et nocte serenet ?
 30 Heu vereor, ne forte prius me cana senectus
 31 corripiat, quam tu laeto placidissima vultu
 32 huc redeas, redeatque simul temploque scholisque
 33 tot bellis amissus honos, et gloria Musis :
 34 concordisque animis agitent convivia cives
 35 aucti opibus, resonent pastorum cantibus agri,
 36 et mare sit ventis tantum non hoste timendum.
 37 O utinam pereant enses, nec nomine notum
 38 sit Chalybum genus, armatos in proelia fratres
 39 exacuens ; pereat numquam satianda libido,
 40 ambitioque levis vasto caput aequore condat.
 41 Pax etenim cedit toto, his dominantibus, orbe.
 42 Hac absente autem, vel culta novalia, tandem
 43 decipiunt operosum etiam, vastata, colonum,
 44 tempore qui pacis, saxoso deses ab agro
 45 quod satis est cumulare solet, votoque potiri.
 46 Pax summo dilecta Deo est, carissima Musis,
 47 grata foro, templis, urbi, populique magistris.
 48 Qui mare navigiis superant, nihil acrius optant.
 49 Hanc dives pauperque colunt, venerantur eandem
 50 vir, mulier, senior, juvenis, pueri atque puellae,
 51 denique nil toto pacem non expetit orbe.
 52 Si quid enim pulchrum votisque optabile restat,
 53 acceptum id paci ferimus. Pax sacra frequentat,
 54 officiisque Deum puris, et mente celebrat ;
 55 imbuit hic precibus teneram matercula prolem,
 56 casta domus caret exemplis factisque nefandis,
 57 queis bello, heu misere, mollis corrumpitur aetas :
 58 illustrat doctrina animos, et pectora firmat.
 59 Hinc quandoque sui studiosos patria cives,
 60 hinc quandoque bonos felix Respublica patres
 61 exspectare potest, variosque avertere casus.
 62 Civibus hinc augentur opes : discordia cedit,
 63 et vel in exiguo dives concordia censu
 64 regna tenet ; totas annona parabilis urbes
 65 complet, inexhausto dominatur copia cornu.
 66 Quid tibi conjugii leges, castumque pudorem ?
 67 Gaudia doctarum tibi quid memorabo sororum ?
 68 Pax quibus in miseris una est nutricula terris :
 69 illa ubi vel gentem vel certam aspexerit urbem
 70 lumine pacato ; non jam Mars improbus illic
 71 perdurare potest ; nec paucis utile bellum
 72 contrahit ex templo scuticam Bellona : rapinae,
 73 Telaque diffugiunt, caedes et furta quiescunt,
 74 oppida nulla suis cernas viduata colonis,
 75 rura nec incultis late squalentia dumis,
 76 nulla urbes metuunt incendia, nulla puellas
 77 vis rapit aut natos manibus post terga revinctis
 78 matribus abripiunt hostes, nuptamve marito ;
 79 nemo illic muros aut structas diruit aedes,

80 nemo juventute aut nudat, aut diripit urbes,
81 nemo senectuti illudit, nova vincla ferenti ;
82 sacrilega non templa manu spoliata patescunt,
83 non matres alias captae abducuntur in oras,
84 caesorum aut vivae natorum funera cernunt.
85 Non latus ense tegit, patriae qui limina mutat,
86 non mare sanguineum, non albos ossibus agros
87 conspicias, solio nemo exturbatur avito :
88 denique nec tuba, nec lituus, nec classica quemquam
89 ad pugnam plagasque vocant, mortemque cruentam.
90 Tot mala, quin complura etiam, si bella moventes
91 spirantesque minas animis et proelia reges,
92 principio cautis oculis animisque viderent,
93 aut odiis frenum injicerent, et gloria nulla,
94 nulla libido illis tantos immitteret aestus,
95 quin illos quorumque modo restinguere vellent,
96 aut prolapsi odio ; id numquam renovare studerent.
97 Salve igitur, pax largitrix horum una bonorum,
98 aurea pax, auroque ipso magis aurea salve,
99 salve iterum, cunctis melior potiorque triumphis,
100 victricique manu tandem nos laeta revise,
101 ipsius auspicio caeli terraeque parentis :
102 qui pacis Deus hostiles bonus improbat iras,
103 et male mortales odia immortalia vexant.
104 Haec ego. Cum subito mihi nuntia fama per auras
105 praemittens oleae ramum, properantibus alis
106 advolat, ingenuo testataque gaudia vultu,
107 foedera pacifico pacis denuntiat ore.
108 Obstupui primo fateor, vix credere dictis
109 ausus inauditis ; mox rebus victus apertis,
110 constantique hominum voce, et rumore secundo,
111 erexi geminas ad caeli sidera palmas :
112 aeternasque Deo grates laetissimus egi,
113 demissis animis et corpore, supplice lingua.
114 "Regna odiis turbare, animos committere regum,
115 litibus incensas evertere funditus urbes,
116 absque labore etiam vel terrae filius audet
117 seditione potens, belli temerarius auctor.
118 Sed cohibere animos, ortas componere lites,
119 et gravidam bellis regionem, absolvere bello,
120 solius uniusque Die est. Hic excitat ipse
121 illustres virtute viros, et pacis amantes,
122 qui sua restituant turbatis munera terris."
123 Huic igitur voce et sincero pectore grates,
124 dic, juvenis, dic, cane senex, dic, quisquis in orbe
125 Arctoo degens vitali vesceris aura.
126 Votivisque memor cumulans altaria donis,
127 acceptam gratis precibus testare salutem ;
128 providus et votis clades averte futuras.
129 Quid tibi nunc proceres memorem, quos Caesaris aula
130 miserat egregios animis fandique nitore,
131 quid reliquos ? Quorum eximiae nil derogo laudi,
132 cujus testis erit Viadrus, dum machina mundi
133 stabit et aeterno lucebunt sidera caelo.
134 Te solum celebrare meis, Dancaee, camenis
135 nunc juvat et fas est. Jam pridem carmine laeto
136 te proficiscentem, et facili sum voce secutus.
137 Nunc reducem, et pacis dulcissima dona ferentem,

138 cur sileam, laudesque tuas, faustosque labores ?
 139 Exoptatus ades nostris spes inclita terris,
 140 Carole, Gallorum sidus. Sed nomine quonam
 141 te celebrare decet ? Mihi laudatissimus ille
 142 tu Thrasybulus eris, concors cui patria frondis
 143 Palladiae sertum imposuit, dum ponere lites
 144 quemque jubet, patriaeque iras donare saluti.
 145 Ecce tuam simili frontem, Dancaee, corona
 146 cingimus unanimes. Illos tu primus honores
 147 es meritus, nulloque cadet tua gloria saeclo.
 148 Turbet aquas Ate, cui res est turbida lucro :
 149 tu, Dancaee, Litas comitans, mala publica dextro
 150 numine restituis, non propria commoda quaerens :
 151 in commune bonus, sapiens, et fidus amicis,
 152 magnus in adversis rebus, cautusque secundis.
 153 Tu generis stirpisque tuae celeberrima facta
 154 laudibus accumulans propriis : te Gallia Regis
 155 "dextram oculumque" vocat ; qui quae Borealibus oris
 156 sint facienda, sagaci animo videasque sciasque,
 157 expediasque simul cauto fidoque labore ;
 158 dum multi facienda sciunt, fugienda sequuntur.
 159 Imperat haud paucis, regina pecunia, regum
 160 praefectis, placant ipsos data munera reges
 161 interdum : tibi, sincero qui purior auro es,
 162 servit et imperium subjecta pecunia perfert.
 163 Divitias sic dives habes, artemque fruendi,
 164 qua sine sub mediis sitiet male Tantalus undis.
 165 Ingenerat reliquis fucata scientia fastum,
 166 ingenerat tumidos ventosa superbia mores :
 167 tu proceres inter primus, tu stemmate avito
 168 illustris, tu magnorum cura inclita regum,
 169 comis es alloquio : non aversaris amicos
 170 exiguos, facili cuivis affabilis ore es ;
 171 cum reliquos centum portae centum ostia claudant.
 172 Sed paucis multa ut dicam : quod Zopyrus olim
 173 Dario fuit, hoc ipsum tu regibus aevo
 174 jam nostro es. Cur id credam, nisi sit grave, paucis
 175 accipe. Darius Xerxis pater inclitus olim
 176 Punica mala inter, quando patefecerat unum
 177 egregie magnum, et pulchrum, in quo plurima grana
 178 membranas ciccisque inter digesta videret :
 179 non ego chrysolithos mihi tot, totidemque smaragdos,
 180 aut si quid gemmis usquam pretiosius exstet
 181 optarim ; quibus ipse satis rex dives abundo.
 182 Quin potius (modo si fatis haec optio detur)
 183 eligerem tales totidem mihi cautus amicos
 184 et comites ; qualis, quando Babylona petebam,
 185 Zopyrus ille fuit. Ceu reges tempore nostro
 186 jurarent, tot Dancaeos se poscere malle ;
 187 quam totidem rivos auri, argentique fodinas.

JOANNI CYRIACO, L. BARONI POLHAEMIO ET WARTENBURGIO.
 EIDYLLION PROPEMPTICUM.

SILVA VII.

S2_7 v.1 Hactenus in Rhodio flos instar sideris horto

2 emicuit, flos Austriacis primo editus arvis
 3 Polhemiaque domo, dein huc translatus ad undas
 4 Varniadum, ut roseo paulatim imbutus odore.
 5 In patriae decus et varios adolesceret usus,
 6 quocirca pecori ignotus, nec laesus aratro
 7 ullius agricolae, nec carptus floruit ungui.
 8 Illum prae reliquis argentea gemmula roris
 9 imbuit ambrosio et caelum spirante vigore ;
 10 illum aurae tenues, et nubis filius imber
 11 mulcebant placide, firmabant aurea solis
 12 lumina. Multi illum pueri, pluresque puellae
 13 suspexere, decus mirati optabile floris
 14 tam pulchri, tam flammeoli, tam dulce comantis.
 15 Hunc circum virides casias, violamque videres
 16 purpuream, phlogionque decens, et Paeonis herbam.
 17 Lilia nec deerant, nec amaracus, aut amethystus,
 18 non lychnis, Charitumque rosae, mollesque amaranti.
 19 Quos inter mire pulchros pulcherrimus ille
 20 enituit, longe ante alios spectabilis unus,
 21 quin decus et lumen reliquis dum fata sinebant.
 22 Nunc, eheu, flos ille sacer, flos aureus ille
 23 in patrios revocatur agros, atque aurea Tempe
 24 Austriadum, posthac tolerare absentis amorem
 25 quae se posse negant, aut hujus sidera floris
 26 tam procul a patria nostris concedere septis.
 27 Ergo hortus nunc Varniadum deformior aequo
 28 stat lacer et facie miseranda, haud gratia florum
 29 quae fuit ante manet, plantarum germina lugent,
 30 omnia sunt solito veluti spoliata nitore.
 31 Varniades quoque cum lacrimis haec carmina flori
 32 tam caro postrema canunt. Flos optime florum,
 33 flos nostri lux et sidus geniale roseti,
 34 quo fugis usque adeo cupido te corde sequentes ?
 35 Tamque avidas famaеque tuae, laudisque sorores ?
 36 Forte refers ; quia sic superi sic fata jubebant.
 37 Credo equidem, nec falsa fides. Sed causa doloris
 38 summa hinc exsistit Rhodiis et noxia Musis.
 39 "O quanto fuerat satius pro germine tali,
 40 Tam nitido, tamque aureolo, tantique decoris,
 41 evelli urticas, fungos, et inutile gramen,
 42 cum lappis, lolio, tribulis, et pestibus horti
 43 innumeris aliis ? Quarum serpiginis instar
 44 inficit et reliquos contagio morbida flores."
 45 Sed tamen interea fati mentisque tuorum
 46 non sumus ignarae. Tibi quin bona mille precamur,
 47 i felix quo fata vocant, iterumque paternis
 48 insitus areolis, firmis radicibus haere,
 49 et sic tolle comas, et germina sic diffunde,
 50 ut sis et maneat toto flos aureus aevo.

AD TUMULUM FIDELISSIMI CHRISTI APUD MENCINGENSES
 MINISTRI MATTHAEI CHYTRAEI PATRIS CARISSIMI. LAMENTATIO.

SILVA VIII.

S2_8 v.1 Ad tumulum, cineresque tuos, pater optime, tandem
 2 advenio lacrimans. Decimo jam redditus anno

3 sum patriae : interea procul hinc mihi vita sub axe
4 occiduo, mundique plagis Borealibus acta est.
5 Dania me, Cimberque ferox, cultusque Britannus,
6 me Viadrus, Varnus, me Dilia Suevus et Albis,
7 Flandriaque Frisiaeque arces, et Gallia vidit.
8 Illic multa quidem memori dignissima mente,
9 et varios hominum mores urbesque potentes,
10 egregiosque viros, et regum vidimus arces,
11 Musarumque domos amplas, tumulosque vetustos.
12 Quae mihi grata quidem, et visu jucunda fuerunt,
13 sed natale solum longe mihi gratius ; ejus
14 mirus amor tacito semper mihi pectora motu
15 impulit, ut quamvis patrio procul orbe remotus,
16 non male tractarer : tamen haec ante omnia menti
17 cura infixata foret, quo tandem tempore possem
18 rursus ad antiquas sedes patriamque reverti.
19 In primis tu, care parens, mea cura fuisti,
20 nulla dies, nox nulla abiit vel parvula, qua non
21 ante meos oculos obversaretur imago,
22 colloquium, vultusque tuus. Quam saepe rogavi !
23 Rursus ut incolumis reduci mihi dicere posses,
24 ut video amplectorque libens tua colla manusque,
25 "Exoptatus ades, fili carissime, salve."
26 Heu, quoties reditum dubio mihi pectore finxi !
27 Verbaque jam gestusque tuos mihi cernere visus,
28 gaudia sollicito praecepi ingentia corde.
29 En redeo. At tristes subitus mihi nuntius aures
30 vulnerat. En viduata domus, maestaeque sorores,
31 en patre pro laeto aspicitur mihi triste sepulchrum.
32 Heu misero, quam nulla homini sincera voluptas !
33 Quam spes fallaces nobis, et inania vota !
34 Immanes Parcae, tuque o mors invida, qui vos
35 quaeso furor, quae vos rabies sic effera movit ?
36 Ut clarum pietate virum, meritisque verendum,
37 tam cito crudeli fato superare liberet ?
38 Heu furor, heu rabies, non vos ego flectere votis
39 tot potui, gemituque pio, precibusque profusis ?
40 Quantum erat exiguo tantummodo tempore duras
41 abstinuisse manus, ut patria tecta revisens,
42 optati patris ora iterum vultusque viderem
43 incolumis ? Vel si nimium hoc, paulo ante venirem,
44 extremoque vale saltem, verbisque supremis
45 perfruerer, patrisque oculis morientis inhaerens,
46 signa darem justis lacrimis gemituque doloris ?
47 Parca sed immenso nulli cum parcat in orbe,
48 quid mirum est, nostris flecti si perfida votis,
49 nolit, et abrupto servet stata tempora filo ?
50 Ergo, care parens, quae nam tibi munera reddam ?
51 Vel memoris gratique animi quae signa rependam
52 post obitus ? Eheu olim quae reddere vivo
53 malueram. Per te dilectae munera vitae
54 possideo : tu me primis ardenter ab annis
55 complexus, puerum coetus documenta beati
56 imbibere, et sanctae voluisti assuescere vitae.
57 Te duce prima olim studiorum exordia feci,
58 cum mihi saepe dares blando munuscula vultu,
59 te duce, Pieridum sacras perductus ad arces,
60 argentina gravi studiis quas inclita sumptu

61 aedificat, primas sub te, Bitnere, magistro
 62 degustare artes, linguasque addiscere coepi,
 63 et proprius puer Aonios accedere fontes.
 64 Post etiam Varni praeterlabentis ad urbem,
 65 mater ubi roseos Academia difflat odores,
 66 misisti puerum, duo vix sexennia natum.
 67 Illa mihi postrema dies fuit, ora parentis
 68 qua vidi, assuetis cum me deduceret arvis,
 69 multa monens, et multa timens, incommoda durae
 70 percensens casusque viae, terrasque remotas,
 71 spemque metumque inter dubius, quandoque reversum
 72 an me iterum patrio complecti posset amore.
 73 Quandocumque subit dictae mihi lucis imago,
 74 affectusque patris, quo me dimisit euntem,
 75 supremumque vale dixit, comitatus amicis :
 76 non gemitus retinere queo, non sistere fletus.
 77 Haec est illa dies, qua tot mihi cara reliqui,
 78 te pater imprimis, quo nil mihi carius usquam
 79 orbe fuit toto. Totis infixae medullis,
 80 Haec mihi cura fuit, totis hoc viribus egi,
 81 imprimis Christo ut semper mea facta probarem,
 82 et tibi deinde parens : studiose offendere numquam
 83 te volui : tibi me totum et mea cuncta dicavi :
 84 respondere tibi, votumque aequare paratus.
 85 Atque utinam nondum tetricae tibi fila sorores
 86 rupissent, vitaeque super pars longior esset,
 87 non ingrata tibi mea mens studiumque fuissent,
 88 laetitiamque tuis nati praesentia canis,
 89 forsitan et exstinctis ferret solacia curis.
 90 Nec mihi quid toto contingere gratius orbe
 91 conspectu verbisque tuis hoc tempore posset.
 92 Verum aliter visum caeli terraeque parenti.
 93 Care pater, dilecte pater, pater optime salve,
 94 aeternumque vale, non tu mihi prorsus ademptus
 95 hac tellure cubas : quondam redivivus in arce
 96 siderea, verbisque tuis gratoque vicissim
 97 ore fruar, tecumque canam benefacta tonantis.
 98 Interea tibi justa feram, tristesque quotannis
 99 exsequias. Tu, care cinis, non forsitan amoris
 100 immemor, officiique mei, prisci que favoris,
 101 has lacrimas, gemitusque meos, quos reddere vivo
 102 non licuit, cape sinceri post funus amoris
 103 indicium, effusasque tibi non sperne querelas.
 104 Tempus erit, quod nec procul est, quo pondera linquens,
 105 terrenosque obitus, caeli aurea templa subibis.
 106 Coniunctusque animae rursus paulo ante relictas,
 107 doctores inter veteres non ultimus ibis,
 108 Angelicae par mirando splendore cohorti :
 109 interea placide imposita sub mole quiesce,
 110 care cinis, dilecte cinis, manesque paterni.

AD TUMULUM PETRI A MENCINGEN, VIRI NOBILISS.

SILVA IX.

S2_9 v.1 Ergo etiam patriae fati hoc defuit unum ?
 2 Ut tu, magne senex, praeclaraque gloria gentis

3 Mencingae, occideres hoc ipso tempore, virtus
 4 quo tua, quo gravitas atque experientia longo
 5 parta usu, heu multum patriae prodesse gementi
 6 debuit, et lapsis potuit succurrere rebus ?
 7 Jam pietas moritura fere, jam pectora plangens
 8 prisca fides, passosque trahens ecclesia crines
 9 facta, tuamque fidem saepe implorare videntur.
 10 Verum aliter visum superis, qui crimina propter,
 11 ingratosque animos hominum, mentesque profanas,
 12 egregios pietate viros, mortalibus oris
 13 eripiunt, ne supplicium poenasque sequentes
 14 cum fletu et lacrimis, inter suspiria, cernant.
 15 Velle igitur scissos, Ecclesia, velle capillos,
 16 patronumque tuum defle, Respublica tanti
 17 fata viri luge, patriam qui more parentis
 18 complexus, laudare bonos, punire nocentes
 19 est solitus justoque suos moderamine rexit.
 20 Vos quoque, Pierides, prisca quibus omnia saeculi
 21 facta patent, quia magnorum describere laudes
 22 heroum vobis datus est labor : ordine quaeso
 23 sanguine quo, patriaque olim Mencingius heros
 24 sit satus, et quantas variis res gesserit oris
 25 pandite, fidus enim vestri protector honoris
 26 ille fuit. Phoeboque velut sacri esse putantur
 27 blandus olor, vatesque pii : sic stirpe creati
 28 Mencinga, in clipeis arguti insignia cycni
 29 dum monstrant, Phoebos sacros sese esse professi,
 30 Musarum decus egregia cum laude tuentur.
 31 Et mihi cum toto divisos orbe Britannos
 32 lustrarem, Oceani spatiosa per aequora vectus,
 33 nescio quid nuper dictu mirabile visum est.
 34 Scilicet ad Tamesis dum lentus obambulo ripas,
 35 fatidicum cycnorum agmen, modulamine presso
 36 me visum excepit, crebro et suspiria ducens,
 37 saltibus et tremulis quiddam praesagiit alis.
 38 Fallor, an hoc certis voluit mihi dicere signis ?
 39 Quod postquam patriae decimo sum redditus annos
 40 sollicito cognovi animo, mihi funera Petri
 41 cum Mencingiaci maestae retulere sorores.
 42 Cycnus et e clipeo pallenti tristior ore
 43 prospexit, domini ut mortem lugere videres.
 44 Sed jam Calliope, tristi redimita cupresso,
 45 et pullata venit. Tu quae tibi verba loquatur,
 46 Musarum si fidus amor praecordia tangit,
 47 attende, et faciles mecum da cantibus aures.
 48 Est regio non magna quidem, sed fertilis agro,
 49 vinetisque potens, Graii tenuere coloni,
 50 a quibus et nomen retinet, circumdata paene
 51 Harciniisque jugis, et blandi flumine Nicri,
 52 qui rapidis illic Rheni confunditur undis :
 53 partibus hic Zephyri prior, Borealibus ille
 54 Eoisque plagis ; Charitini principis orae
 55 concludunt australe latus. Sacer ille Melanchthon
 56 hac patria genitus. Sed et hic comes inclitus olim
 57 Wolframus, gener Henrici, qui nominis hujus
 58 arbiter imperii quartus fuit, optimus heros,
 59 jus habuit, patiasque domos. Nunc arcibus amplis
 60 oppidulisque potens, multis dat splendida sedes

61 nobilibus, sua quos pietas et dextera bello
62 inclita, Musarumque favor clarescere fecit,
63 et quibus attribuit supremi in Caesaris aula,
64 Imperiique duces inter sapientia nomen,
65 et gravitas, fortisque fides, et candida virtus.
66 Quid tibi Gemmingae referam clarissima sedis
67 lumina, Siccingae cui non est cognitus ante
68 nobilitatis honos, Sternfelsae aut gloria gentis
69 quid nunc Helmstadios, quid magnos laude Goleros,
70 quid Venningenses, Neoburgensesque vel ultra
71 Landschadios memorem, Rossavo aut sanguine cretos,
72 quos tantus generis splendor, tamque inclita virtus
73 evehit, ut si pro meritis comprehendere vellem
74 singula, vel saltem paucis attingere verbis,
75 non linguae mihi sufficerent, non mille Camenae.
76 Nunc tantum mihi summa sequi fastigia rerum,
77 et Mencingiaci laudes perstringere Petri,
78 inter qui reliquos, ut sidus amabile, fulsit,
79 est labor ; illius generi Mencingia nomen
80 attribuit, celebrata mero. Mons imminet illi
81 vitifer, et totis seges aurea fluctuat agris.
82 Hic habitasse tuos etiam, Chytraee, parentes
83 fama refert, abavosque illos, atavosque vetustos,
84 auratosque equites bis sex, quos tempore prisco,
85 Mencinga de stirpe satos monumenta recensent.
86 Illi armis, fortique manu dum bella lacesunt,
87 inque ruunt medios districtis ensibus hostes,
88 pro patria et templis, pro libertate suorum,
89 tantum promeruere decus generique sibique
90 quod nec tempus edax, nec ferri injuria laedet.
91 Nominis antiqui memor, et virtutis avitae,
92 integer a patria non degeneravit Erasmus
93 laude, nec a veteri fama et virtute recessit,
94 sed vera pietate animi, gravitatis amore,
95 consiliisque valens, post patris fata Philippi,
96 prae multis aliis tibi, laudatissime princeps,
97 dilectus, Ludovice fuit, qui tempore eodem
98 lege Palatinos, et fixo jure regebas.
99 Hac fama patriis dum frater Erasmus in oris
100 excellit, populosque suos cum laude gubernat,
101 pacis amans, carusque Deo, ducibusque suisque ;
102 accidit ut sitiens Christi patriaeque cruoris
103 Marte minisque potens, et belli robore Turca,
104 Turca Solymanus Byzantina urbe relicta,
105 innumeras acies Eoae ad clara Viennae
106 moenia perducens ; ut tantam invaderet urbem.
107 Omnia temptaret, saeva implacabilis ira.
108 Hic patriae sincerus amor, germanaque virtus.
109 Christi adumque salus, movit tua pectora, Petre,
110 virtutum stimulis, generosamque impulit iram,
111 posthabita vita ut propria, propriisque periclis,
112 communem patriam, quae laus est summa, juvares.
113 Impiger adversos igitur mox primus in hostes
114 vectus equo trepidante ruis, Turcasque feroces,
115 nunc telo, nunc ense feris, atque omnia ferro
116 obvia tamquam falce metens prosternis arator.
117 Quin etiam monitisque piis, et pectore forti,
118 exemplo juvas timidos, animoque labantes

119 erigis, ut firma tolerarent mente labores.
 120 Sic Mahometigenae retro concedere Turcae
 121 compulsi fugiunt, pro dextra calcibus usi :
 122 o utinam multos tali virtute tulissent
 123 tempora prisca viros, aut praesens cerneret aetas
 124 heroas tibi, Petre, pares : non sanguine nati
 125 conspurcata parens totiens, ad stupra puellae
 126 non totiens raptae, non templa exusta fuissent.
 127 Nec tibi juratum patriis in finibus hostem
 128 grassantem, et summi ridentem numina Christi
 129 aspiceres, invicta olim Germanica pubes.
 130 Quin jam prisca tibi redit in praecordia virtus,
 131 et patriae sincerus amor, praeduraque bello
 132 dextera, et imprimis majorum exempla tuorum
 133 teque tuosque movent, ut tantum sedibus hostem,
 134 deturbes patriis, niveo laetissima vultu,
 135 rursus ut ad nostras redeat victoria partes.
 136 Romani rerum domini si vincere nondum
 137 te bellis potuere suis, dextraque potenti ;
 138 cur adeo grave semiviros tibi vincere Turcas ?
 139 De summa statuisset rei, jam scilicet omnes,
 140 jam fuerat melius, non demum tempore tali
 141 cogere concilium, quo finibus imminet hostis.
 142 Quin vigila, cape tela manu, depelle tyrannum,
 143 dedecus hoc alias nullis abolebitur annis.
 144 Sed surdis toties haec inculcantur, at olim,
 145 heu sero nimium, tristis Metanoea sequetur.
 146 Nec tamen exactos, juvenis Mencingius, illo
 147 tempore sustinuit nullo sine honore labores.
 148 Nam mox egregia juvenum spectante corona,
 149 principibusque viris, summi dux agminis illum,
 150 rite, aurati equitis, laudatum, insignibus ornat,
 151 virtutis pretium, perpessorumque laborum
 152 ut caperet, semperque suis hac laude praeiret.
 153 Post ubi cum populi gemitu decessit Erasmus
 154 frater, Petre, tuus : patriis tu redditus oris,
 155 jure tuos regere, et justas defendere leges
 156 coepisti, ut patriae patrem populique decebat.
 157 Imprimis tibi cura fuit, pietatis amorem
 158 ut fidei commissa tuae plebs tempore primo
 159 imbiberet, justaque Deum ratione timeret.
 160 Virtutum est mater pietas, qui negligit illam,
 161 nullius hic umquam laudem virtutis habebit.
 162 Hoc credens primis heros Mencingius annis,
 163 praefecit populo sanctosque gravesque ministros,
 164 qui verbi monumenta sacri cum laude docerent,
 165 exemplisque alios virtutum flectere possent.
 166 Hos inter tuus ille parens carissimus, olim
 167 non postremus erat, factis Matthaeus et ore
 168 excellens, studio quem magno ut Petrus amavit
 169 viventem ; sic et tumulo vicinior illi
 170 conditus est, temploque uno requiescit uterque.
 171 Scis etiam qua mente tuum, quo pectore fratrem
 172 Davidem sit complexus : quem tempore longo
 173 munifice in doctis aluit fovitque Lycaeis.
 174 Hinc ille Aonii non infima gloria fontis,
 175 grata Deo facit et dicit, docilemque juventam
 176 erudit, Arctoum procul hinc semotus ad axem.

177 Quam vereor ne, finitimi dum proelia reges
 178 committunt, pestisque locum crudelis eumdem
 179 duriter affligit, nostro quid forsan alumno
 180 contingat gravius ; sed cum sub numine Christi
 181 vita hominum fuerit semper defensa piorum ;
 182 ille etiam in mediis poterit florere periclis,
 183 hoc ego tuque illi votis ardentibus optas.
 184 Margaris hic etiam conjunx fidissima Petri,
 185 laus Gemmingiacae praeclaraque gloria prolis
 186 jure mihi celebranda foret, clarissima purae
 187 laude pudicitiae, forma, pietate, fideque,
 188 qua socia et monitrice utens, licet omnia per se
 189 recte ageret, tamen egregiae quam plurima fecit,
 190 taliaque imprimis summi quibus inclita Christi,
 191 et sacra provehitur divini gloria verbi.
 192 Illa sed, heu, nimium nostris cito cessit ab oris,
 193 filiolis lacrimas linquens, gemitusque marito.
 194 Illi Rossavae successit Odylia stirpis
 195 gemma decens, similisque animi pietate priori.
 196 Cum qua postremos senior Mencingius annos
 197 exegit placide, et summa quam morte reliquit.
 198 Illa velut socium deplorans turtur ademptum,
 199 maesta sedet, fatumque viri lacrimabile plangit.
 200 Qui tanta pietate animi cum templa scholasque
 201 foverit, et juvenes, olim qui munera Christi
 202 caelestesque artes late dispergere possent :
 203 non illi pater aethereus sua dona vicissim
 204 subtraxit, sed clementi dedit omnia vultu.
 205 Illi laetus ager multas cum fenore fruges
 206 deddidit, illius semper granaria messis
 207 complevitque cavas felix vindemia cellas.
 208 Quid tibi dulce merum referam, quod vitibus illis
 209 nascitur, et variis est carum et nobile terris ?
 210 Quid tibi magnificas aedes, granaria, cellas
 211 commemorem ? Turresque novas, quibus optimus heros
 212 ornavit patriam, in proprios atque hospitis usus.
 213 Quid tibi divitias ? Auri argentique talenta
 214 quid recitem ? Quibus ille licet paene omnibus horis
 215 afflueret, tamen assidue moderatus et aequus
 216 exstitit, haud luxum ostentans cultumque superbum,
 217 humanae sortis non immemor, omnia nutu
 218 quae mutare potest, et tristi invertere casu.
 219 Non illo melior quisquam, si pectore fido
 220 recte ageres, legumque libens praecepta timeres ;
 221 non etiam gravior quisquam asperiorve fuisset,
 222 improba si sanctas contra petulantia leges
 223 quid faceret, studioque alios violaret iniquo.
 224 Non impune illi talis quisquam obvius isset,
 225 sic tamen iratus fuit, ut placabilis esset,
 226 si sese argueret lapsus, veniamque rogaret.
 227 Cuncta sed haec pietas animi et constantia vicit,
 228 qua Petrus, ut petra, aethereum defendere verbum
 229 est solitus, studiisque sacer felixque patronus
 230 exstitit, innocuasque manus ad sidera tollens,
 231 nullius imperio est fractus, nullisque periclis.
 232 Hinc etiam Christo moriens invictus adhaesit,
 233 constantique fide, illius meritoque sacrisque
 234 vulneribus nitens, placide exspiravit. Et inter

235 sidereos nunc heroas proceresque triumphans,
 236 nulli audita prius, perceptaque gaudia nulli
 237 sentit, et aeterni vultu et sermone parentis
 238 perfruitur, morbis liber, curisque solutus.
 239 Et quoniam subolem defendit amatque piorum
 240 ipse Deus, nec Mencingo de stemmate natos
 241 deseret, ast omni felices proteget aevo.
 242 Donec ad egregios tandem post fata parentes
 243 ipsi etiam redeant, exspectatoque fruantur
 244 alloquio, nullosque habeant ea gaudia fines.
 245 Haec ubi Calliope in tenues evanuit auras.
 246 Vos, Mencingiaca pulcherrima lumina gentis,
 247 et tu maesta parens, et vos post fata paterna
 248 incolumes nati et natae quae carmina mitto,
 249 accipite, et placido faciles evolvite vultu.
 250 Vos duo praecipue concordi pectore fratres,
 251 corporis eximio praestans, Friderice, vigore,
 252 tuque minor, Bernarde, quidem, sed maxima matri
 253 spes viduae, magnusque tua quandoque futurus
 254 doctrina ingenioque, meae non carmina Musae
 255 despiciate, at manes propter cineresque paternos
 256 perlegite. Et quoniam caro succedere patri
 257 incipietis ; ei quas dixi a funere laudes,
 258 non reor ingratas vobis quandoque futuras.
 259 Scilicet has tacito volventes pectore, et ipsi
 260 (ut facitis) cum laude pii vestigia patris
 261 mirantes cupidique sequi laetique voletis ;
 262 et fratrum vos turba minor, velut aemula, sponte
 263 suspiciet, vestrosque gradus et jussa sequetur.
 264 Sic magno virtute pares, meritisque parenti,
 265 unanimes eritis, nulloque abolebitur aevo
 266 aut Mencingiaca, Rossavae aut gloria gentis.

III

NATHANIS CHYTRAEI SILVARUM LIBER TERTIUS.

(1340 vers)

TRIUMPHUS TEMPORIS AD NICOLAUM CISNERUM VIRUM CLARISSIMUM.

SILVA PRIMA.

S3_1 v.1 Nox erat, et puro fulgebant aurea caelo
 2 sidera, caeruleis postquam se merserat undis
 3 Phoebus, et umbroso tenebras induxerat orbi.
 4 Quando ego stellarum miro compulsus amore,

5 deserui tectumque meum, gratosque penates,
 6 observaturus tota vaga sidera nocte.
 7 Ad Boream, geminasque arctos, sua brachia Perseus
 8 tendebat, vitreisque pedes immerserat undis.
 9 Pegasus eoas partes, conjunctus Olori
 10 servabat, rigidae metuendus acumine caudae
 11 Scorpius, Australi stabat declivis in orbe.
 12 Ad latus Hesperium Nemeaei cauda Leonis
 13 ardebat, medium caeli piger ille Bootes,
 14 et ferus Alcides Bacchique corona tenebat.
 15 Haec ego dum video, versumque ad sidera vultum
 16 circumago, rapida pariter vertigine caelum
 17 torqueri, atque alias lucescere sentio stellas,
 18 obscurari alias, vastisque immergier undis.
 19 Donec mox solis, quem vix cecidisse putabam,
 20 praevia fulgeret roseis aurora capillis,
 21 et pariter tenebras ipsas, et signa fugaret,
 22 grataque lux orbi nondum exspectata rediret.
 23 Cesso igitur lustrare polum, celeresque recursus
 24 solis, et ex illis nostrae fugientia vitae
 25 tempora demiror, qui sic volitamus, ut ipse
 26 sol rapitur, subitusque cito se turbine vertit,
 27 interitum nobis properans, mundoque ruinam.
 28 Nec mora, progredior vicini ad culta roseti
 29 compita, cum blando coeuntia frigora morsu,
 30 inque pruinosis canescens gutta frutetis,
 31 non procul esse diem signo constante notaret.
 32 Aspicio : rosa nulla sui patefecerat orbem
 33 floris adhuc, arcto foliorum haec clausa galero,
 34 haec summo mucrone comas diducta notabat.
 35 Momentum intererat, subito turgere videres
 36 omnia. Jam densos illa evolvebat amictus :
 37 haec foliis numerare suis, croceoque capillo
 38 se meditans, nitidum calatho pandebat honorem.
 39 Mox ubi jam gratum foliis spirarat odorem,
 40 pallida, collapsisque comis, pedibusque terenda,
 41 tam brevis, et subito mutata sorte jacebat.
 42 Hei mihi, dicebam, quam flos aetasque rosarum
 43 exigua est ! Vix orta dies hanc protulit, ecce
 44 nascendo moriens, cadit ipso in flore juventae,
 45 pro foliis spinam ostendens, papposque volantes.
 46 Quam similis mea vita rosae est ! Juvenilibus annis
 47 illa viget, laude ingenii, vi corporis, ore
 48 purpureo, rectis studiis et idonea bello.
 49 Sed subito vigor ille perit, nec redditur umquam
 50 perditus. En pueros, juvenes, tenerasque puellas,
 51 cursibus a tergo premit insidiosa senectus,
 52 quin inopina manus juveni, procul esse putata,
 53 injicit, arroditque animi cum corpore vires,
 54 paulatim dira donec mors omnia falce
 55 demetat, et finem rebus mortalibus addat.
 56 Haec ego. Tum positus radiis lauroque decorus
 57 Phoebus adest, doctoque comes lux aurea Phoebos,
 58 qua duce, non tenebras superi, non nubila mundus
 59 novit, et aethereo collucent cuncta nitore.
 60 Obstupui fateor, sed sustulit ille timorem
 61 alloquio verbisque suis, cum talibus inquit :
 62 "Quid, juvenis dilecte, mihi doctisque camenis,

63 usque adeo pendes animi, vitaeque caducae
64 tempora, praecipiti confers cum flore roseti ?
65 Cum meliora fere vestrae sint omnia sortis
66 condicione mea ; nostros o quaeso labores
67 aspice, circuitusque, quibus sine fine fatigor,
68 aspice quo flectam ignitum moderamine currum,
69 ut rapiar, celerique rotas ut turbine vertam,
70 ut trepident properentque dies : ut fulminis instar
71 tempus eat, subitique ruant cum mensibus anni.
72 Nec tamen humani possum compescere famam
73 ingenii, ruit illa prior vi temporis, illa
74 post obitum crescens, volat immortalibus alis,
75 candidior stellis solidoque perennior aere.
76 Ecce aliquis fama celebris, meritisque per orbem
77 cognitus, exactae post hujus tempora vitae,
78 clarior est multo, famaue superstite vivit
79 perpetuo, vitam velut ipso in funere nactus.
80 Crescit enim moriendo decus, nova gloria crescit.
81 Cui certe invideo, quin et pudet esse deorum
82 in numero, cum mortalis mihi vincere famam
83 non liceat. Quae nobilior si funere tandem
84 redditur, o miseram mortis sine viribus iram.
85 Si superis labor atque homini laus posthuma crescit ;
86 o miseros hac lege deos, mortalibus ipsis
87 si non esse pares divino in numine possunt.
88 Quattuor en sine fine domo pascoque caballos
89 flammivomos, celeres, rapidosque volantibus alis
90 proripio in gyrum glomerans, et tempora mecum
91 aequali spatio, numquam reditura feruntur :
92 non hominis tamen egregium post funera nomen
93 obscurare queo. Piget, hei, piget esse deorum
94 concilii primos inter, si nomina famae
95 non ego mortalis post terga relinquere possum.
96 Et pudet, et doleo. Quin hic pudor excitet iram,
97 ira mihi rabiem triplicatis cursibus addat.
98 Ardeo nunc animi, et non clam mortalibus istis
99 indignor, quos si centum vel mille supersint
100 post mortem aetates, fama immortalibus ornat
101 elogiis, clarosque magis post funera reddit
102 quam fuerant vivi. Quis non tua, Regule, facta,
103 Scipiadamque manus, vel magni nomen Achillis
104 audiit, haud tergo sed fronte et pectore noti
105 Dardaniis ? Cui non Cicero, Maro, Flaccus, Homerus,
106 notus ob eloquium est et doctae flumina linguae ?
107 Mille licet lustris nostros praecesserit annos.
108 Hoc ne ego sic patiar ? Qui nocte dieque laborans
109 nequidquam abripior, celeres vincentibus Euros
110 curribus, apparetque viae non meta rotundae.
111 An sic perpetuo mea per vestigia volvar ?
112 Non hominis validus tantam contundere famam ?
113 Quin licet experiar. Solitos nunc ira labores
114 tergemina et cursus vincat vertigo priores,
115 gloria ne paribus semper me cursibus aequet."
116 Dixit, et igniferum volitans sublatus in axem,
117 alipedes instigat equos, demittit habenas,
118 fervedus et calcar jam sponte volantibus addit.
119 Quadrupedum incaluere animi, quaque impetus egit
120 hac sine fine ruunt, caeli ruit igneus orbis,

121 ante satis celer, insueto se turbine vertens.
122 Lux magis atque magis properat, fugit annus, et ortum
123 quae rapit hora diem, fugit irreparabilis aetas.
124 Sic modo pacatis conspectus in aethere ventis
125 milvuus, intentus praedae, placidissimus ibat.
126 Ast ubi vel turdum vidit, tenerumve palumbem,
127 tum celer insequitur, trepide fugit ille sequentem,
128 nec mora nec requies geminatis cursibus instat,
129 donec avem superare queat votoque potiri.
130 Sed quid ego volucres Phoebi cum cursibus aequo ?
131 Quos neque mens hominis, nec lingua volubilis umquam
132 nec stylus assequitur, nihil est velocius illis,
133 non Rhodanus, non ira maris, non fulmina caeli.
134 Nunc ego, quae suspexi olim mortalia sperno
135 omnia, dum rapidos solis mundique rotatus
136 attonitus video. O spatium revolubilis orbis
137 longum, immane, ingens ! O lux tempusque diurnum
138 exiguum, breve, contractum ! Quo tanta perenni
139 sol cursu spatia absolvit, tantosque labores.
140 O brevitatis vitae humanae ! O vicinia mortis,
141 aequali cum sole gradu si tempora vitae
142 aufugiunt, tantumque mihi decedit in horas,
143 in rapido quantum exegit sol aureus orbe.
144 Hei mihi quam vanum est, nimium confidere rebus
145 terrenis, quas tempus edax evertere possit :
146 quas simul acquirens perdas, retinere laborans,
147 amissas subita videas periisse ruina.
148 Si qua igitur tibi cura tui est, si vivere recta
149 cum ratione velis, sana tibi prospice mente,
150 dum licet, et rebus nimium ne crede caducis,
151 sursum oculos, animosque tuos ad sidera verte,
152 hic tibi praesidium stabile est, hoc nitere solo,
153 contemptis aliis. Quid enim tibi proderit amplas
154 volvere spes animo, partis confidere rebus ?
155 Cum videas duce sole horas mensesque diesque
156 effluere, et finem mortalibus addere curis
157 momenti unius spatio, vel dicere si quid
158 momento brevius liceat. Circumspice, quaeso,
159 ver, aestas, autumnus, hiems, quam saepe recurrant,
160 quam subitis vicibus. Nix jam glaciesque videtur ;
161 momentum intererit, rosa cum nascetur ibidem,
162 qua simul exstincta, autumnus cum poma reduxit,
163 bruma recurret iners. Et puncto temporis uno
164 maxima nunc aestas mox frigora maxima laedunt.
165 Sic ruit annorum spatium, sic diffugit aetas.
166 In speculo nobis nos et nostra omnia ponens
167 ante oculos. Hic aspiciat se quilibet ipsum,
168 erroresque suos, et cum deprenderit ortum
169 interitumque suum, miseraeque brevissima vitae
170 gaudia, depositis cristis, ante omnia morti
171 se paret hic, recteque utens juvenilibus annis,
172 Sit memor aetatis serae, quae praevia morti
173 Advolitans, ne sera quidem dicenda videtur.
174 Mane infans aliquis, venienti nocte senescit.
175 Namque hominis quid vita aliud ? Quid gaudia mundi ?
176 Quam nebulosa brevisque dies, et noxia multis,
177 Temperies in qua caeli mutetur in horas,
178 Nunc ridens, mox saeva iterum, quae bella videri

179 Forte potest aliis : ego nil laudabile prorsus
180 Hic video. Quid spes hominum, quid cornua vulgi,
181 quid risus, variique joci, quid tollere cristas,
182 atque adeo inflari et reliquos contemnere prodest
183 mortali ? Cui nec vitae nec tempora mortis
184 cognita sunt : quamvis numquam non proxima nobis,
185 quae vitae brevitatis, mors esse et funera possint.
186 At vos, o juvenes, nostris ne credite dictis,
187 obfirmate animum solitisque insistite nugis,
188 largiter et vobis diuturnae tempora vitae
189 gaudiaque et lusus magnis promittite votis.
190 Quod multi faciunt, rectum parere monenti
191 qui sibi turpe putant, pro libris pocula Bacchi
192 tractantes, animis stolidi, fastuque superbi,
193 prodentes vultu ingenium, mentemque ferinam
194 vertice cristato, levitatisque indice pluma,
195 barbarico incessu, cubito fulcimine nixo,
196 guttur onocrotali bovis aut palearia laxis
197 dependent manicis illorum, et carbasa braciae,
198 velorumque sinus caligarum syrmata pingunt.
199 Hos ego letifero sopitos esse veterno
200 non dubito, mittoque libens. Quis stultus et amens
201 invitum servare velit ? Prodesse nocenti ?
202 Ingenuos ego compello, fucisque molestis
203 dissimiles. Vos aetatis non spernite florem,
204 vos animum studiis intendite, vivite recte,
205 ut decet, et memores urgentis terga senectae,
206 quaerite praesidium serisque viatica canis.
207 Hora volat, fugit ipse dies, cito defluit annus,
208 punctum erit, et mortis fiemus praeda, novamque
209 visemus patriam ; summi vel gaudia caeli ;
210 vel Stygiae tormenta domus, si vita peracta est
211 turpiter. Hic animis opus est, hic robore firmo,
212 dum licet, et miseri vitales carpimus auras,
213 et ratio tempusque sinunt. Non sera moremur
214 funera, cum vitam in melius mutare peractam
215 non liceat. Jam tempus adest, jam certa facultas
216 informare animos et sanctam degere vitam :
217 haec parient tibi perpetuum post funera nomen,
218 haec caelum ratione petes delubraque divum.
219 Committant alii doctis sua facta Poetis,
220 historicisque libris, et serae nomina famae
221 se nactos hinc inde putent, et tempora flocci
222 praecipitisque dies, annos et saecula, pendant,
223 et fore se meritis, fama, virtute, librisque
224 perpetuo credant vivos, et laude celebres.
225 Ast ego praeferrem vitae immortalis honores,
226 sanctorum in numero, quos nulla injuria laedit,
227 non saeva annorum rabies, non spicula mortis.
228 Fama vale, quid enim libri, quid carmina possunt ?
229 Corticibus conscripta, levi signata ligustro,
230 quod vel fama rapax, aut invidiosa vetustas
231 delet, et in nihilum parvo post tempore vertit.
232 Milia librorum millenaque milia dudum
233 interiire situ. Quot in his bene gesta virorum
234 nobilium deleta putas ? Quot perdita plane
235 nomina, perpetuum sibi promittentia famam ?
236 Praeterea sol ipse suis quia cursibus instat,

237 et spatia ingeminans, solitis pro mensibus annos,
 238 proque annis lustra, et pro lustris saecula videtur
 239 conficere, ut mundo acceleret properetque ruinam :
 240 perpetuo quis clarus erit ? Cum saecula vincant
 241 historias, scripta, ingenium, doctissima quaeque
 242 carmina. Quid fama est tantorum clara virorum ?
 243 Quos spatio inclusit medio Peneus et Hebrus,
 244 quos vallis Tiberina dedit, quos flumina Xanthi.
 245 Quorum Maeonides communi ex sorte redemit
 246 exiguam partem ; reliquorum oblivio dudum
 247 nomina delevit, nec parcere cogitat illis,
 248 quos etiam multis donarunt carmina saeculis,
 249 machina cum mundi caelo flagrante peribit.
 250 Ergo quid hic aliud fama est ; quam tempore veris
 251 una dies, quae parte sui jam paene serena est,
 252 mox dubio caelo nebulis turbatur, et atras
 253 vertitur in tenebras prima caligine noctis.
 254 Sic fugiunt hominum pompae, sic regia sceptrata,
 255 sic ruit imperium, clari sic fama triumphi,
 256 divitiae sic intereunt, sic splendor honorum :
 257 quin etiam ingenium et doctae facundia linguae
 258 temporis assiduas scriptis inhibere rapinas
 259 non possunt. Fugit hic mundus, nostra omnia secum
 260 abripiens. Requies tantorum nulla laborum est,
 261 ni prius in nihilum redigens mortalia perdat.
 262 Nec curo hic quid vulgus agat, quid turba profana
 263 somniet, immensi spatii cui vita videtur.
 264 Altius intendo hic animum, cogorque fateri,
 265 vita hominis tantum paulo si longior esset,
 266 visuros nos interitum mundique ruinam.
 267 Jam quia vita brevis multorum fata recenset,
 268 sustinet et varios miseranda in sorte labores,
 269 aetates simul et quam plurima facta priorum
 270 enumerans, quae tam brevis est, sibi longa videtur,
 271 stultior interea, et propriorum ignara malorum :
 272 dum longas rogat aetates seramque senectam,
 273 ut queat aeternam factis extendere famam.
 274 Quin multos quoque felices infantia tollit,
 275 et miseros itidem multos extrema senectus.
 276 Nec desunt qui non genito tribuere beati
 277 nomina, et exstingui cito, rectius esse putarunt,
 278 quam superesse diu, et cumulos perferre dolorum.
 279 Nam quid fama tibi, quid gloria proderit olim,
 280 quam tanti facis, et paene immortalibus aequas ?
 281 Vis dicam ? Geminam mortem tibi stulte creare
 282 niteris. Hic unam sublato corpore perfers :
 283 altera mors famae est, quam si post funera linguas ;
 284 momento moriere iterum, cum fama peribit.
 285 Et quia consumit secum omnia tempus avarum,
 286 nec primum poteris sed nec vitare secundum
 287 interitum, poenamque tibi, pro laude parabis.
 288 Sic tempus de nominibus, famaue triumphos
 289 hic agitat, clarosque procul supereminet omnes.
 290 Omnia consumens velociter, omnia vertens.
 291 Ergo tibi, o juvenis, si res est publica curae,
 292 si quidquam lacero plorans Ecclesia vultu
 293 te movet, aut Sophiae si quid suspiria possunt,
 294 invigila studiis, et floescentibus annis

295 dum vacat, ingeniique valent cum corpore vires,
 296 utere, et adstantem semper meditare senectam.
 297 Si volat adsidue, ut volat, irreparabile tempus,
 298 non vigor hic diuturnus erit, longumque manebit.
 299 Pallida ut in silvis autumnii frigore primo
 300 lapsa cadunt folia, et frondes cernuntur inanes,
 301 sic subito flos ingenii juvenilis, et omnis
 302 decidit arescitque vigor. Quin ista senectae
 303 nos hora adjunxit proprius, mortique ruenti.
 304 Ergo laborando venientes vincite sordes,
 305 fortiaque adversis opponite pectora telis
 306 barbariae, dum turpis abest et decolor aetas.
 307 Nec tamen humanis nimium confidite rebus
 308 ambiguus, vanis, miseris, misereque caducis :
 309 non nimium in terris mortalem quaerite famam.
 310 Quin potius patrio mentem convertite caelo,
 311 aeternis intenti opibus, famaeque perenni,
 312 quam non tempus edax, non flammae injuria laedat.
 313 Tu, pie Christe, fave, dubium tu dirige vitae
 314 curriculum, coeptosque juva perferre labores,
 315 et tandem aetherae dona nos munere lucis :
 316 sic tibi dulcisonis repetemus carmina linguis,
 317 sic te dante tui fidus celebrator honoris
 318 semper ero, dum lingua mihi dum vita manebit.
 319 Sit tibi laus, tibi summus honos, tibi gloria soli.
 320 Haec, Cisnere, tibi o nostris carissime Mysis
 321 magnis pro meritis do parvula, pignus amoris,
 322 atque animi indicium grati, quo nomine, nosti,
 323 tu placido atque hilari, ut mos est, illa accipe vultu.

MEMORIAE JUSTINAE RUDELIAE SPECULUM UXORIIUM.

SILVA II.

S3_2 v.1 Justitiae defensoris Justina Rudeli
 2 filia, justitiae sat noto nupta patrono,
 3 aeternae nunc justitiae velamine tecta,
 4 justitiae ad solem properat, justamque coronam
 5 justorum caeli procerum, sed sanguine Christi
 6 justorum : Justina etiam quo justa, dolorum
 7 immemor immortalis aevo cum pace fruatur.
 8 Huic, dum vita fuit, placuit super omnia mater
 9 virtutum pietas, et casti cura pudoris.
 10 Contigit ingenium, et sexu prudentia major.
 11 Pauca sed apta loqui, nullum contemnere, luxum
 12 odisse, et pictas auro gemmisque lacernas.
 13 Dum tabes passa est, templi studiosa, domique
 14 sedula, rara foris, placide officiosa marito,
 15 munifica in tenues, in cunctos comis egenos.
 16 Non percontatrix, non vicinae aemula fastus,
 17 non suspirando, flendove molesta, sed ultro
 18 imperii patiens, et sobrietatis amore,
 19 munditieque placens, dotemque genusque paternum
 20 inculcans numquam, formatrix commoda prolis
 21 ingenuae, modiceque hilaris, modiceque severa,
 22 in morbis patiens, et votis dedita Christo :
 23 nec placitura sibi, nisi sit placitura marito.

24 Denique virtutum specimen, quo saepe minores
 25 alliceret, verbisque etiam monitisque benignis
 26 et gravibus, virtutis iter cum laude doceret,
 27 nec sine fructu adeo. Formosi gratia vultus
 28 tanta erat, et placidis fandi vis insita verbis.
 29 Tu quaecumque tui et vere studiosa mariti es,
 30 hanc imitare libens, istis te laudibus effer,
 31 in quibus et tua philtera simul mundumque decentem
 32 deprendes positum. Non nobilis Epponnina,
 33 non Lysidissa illi virtutum nomine certet,
 34 non Postaea etiam, non regi nupta Phereo
 35 Alcestis, non quas alii sine pondere jactant.
 36 Haud etenim immerito partes Justina priores
 37 hic tenet. In reliquis quae singula namque fuere,
 38 hic conjuncta vides. Apicemque his omnibus addit
 39 virtutum regina Fides, qua pectore toto,
 40 toto animo, totis imo de corde medullis
 41 ad Christi amplexus caelique ad limen anhelans,
 42 evasit victrix, immortalamque coronam
 43 obtinuit, veraeque adeo primordia vitae.

MEMORIAE NOBILISS. DANIELIS RANZOVII, DUCTORIS FORTISS.

SILVA III.

S3_3 v.1 Tene etiam lux Rantsoviae pulcherrima gentis
 2 ante diem mors atra rapit ? Nec vivida dextrae
 3 invictique animi virtus, nec stirpis avitae
 4 gloria te rigidis potuit subducere Parcisi,
 5 heu nimium parcisi, tibi quae florente juvena
 6 invidiae stimulis actae, vitalia rumpunt
 7 stamina, nec gemitus patriae, fratrumque duorum
 8 respiciunt curas, et virgineos ululatus
 9 heu sponsae miserae, cari pro funere sponsi
 10 sperantis liciti taedas et gaudia lecti.
 11 Dicite, Thespiades, (vestri nam muneris, ipsum
 12 carminibus celebrare Deum, regesque potentes,
 13 et magnos virtute viros) qua stirpe creatus,
 14 qua patria, et variis quas res bene gesserit oris
 15 Rantsovius, vestri decus et defensor honoris.
 16 Et tantum lugete virum. Quis namque profusis
 17 temperet a lacrimis ? Quis acerbo frena dolori
 18 injiciat ? Cum Rantsovii quoque funera fletum
 19 ignotis simul incutiant atque hostibus ipsis :
 20 tanta viri bonitas et erat sub pectore virtus.
 21 Hanc vobis labor est versu celebrare canoro
 22 in quocumque viro, quacumque in gente repertam :
 23 et livore caret, celebris post funera virtus.
 24 Summo igitur jure invidia labor iste carebit,
 25 prudentes si forte viri, et virtutis amantes
 26 ista legant, nam plebeias vos spernitis iras.
 27 Ergo agite Aonides, tuque o fortissima Pallas,
 28 si vestro puerum gremio tenuistis, et ulnis
 29 amplexae, tenero fovistis ab ubere matris,
 30 si vos ille pio semper redamavit amore,
 31 incipite et mecum maestis iterate querelas.
 32 Adjacet Arctoio dives paeninsula regnis,

33 quam pater Oceanus, laeva, dextraque Codani
 34 litora circumdant, olim gratissima sedes
 35 Cimbrorum, imperio gens formidata Latino
 36 quae fuit, et rigidas superavit saepius Alpes,
 37 horrendaque manu Tiberinas terruit arces.
 38 Caepio testis erit, testis Sullanus, et acer
 39 Manlius, armatos qui non depellere Cimbros
 40 Ausoniis potuere jugis, et moenibus urbis.
 41 Nunc regio Holsatis ducibus cultissima paret,
 42 quos inter virtute fuit rebusque gerendis
 43 maximus, a Christo verum cognomen adeptus,
 44 rex maris Arctoi, Dani custodia regni,
 45 rex magnus pietate, armis, bonitate, paterque
 46 florentis patriae, ut paucis quam plurima dicam.
 47 Illi, Rantsoviae stirpis decus, optimus ille
 48 et pietate potens, et servantissimus aequi
 49 Gosgius, antiqua fuerat virtute fideque
 50 cognitus, et primos carissimus inter amicos,
 51 par illis pietatis amor, vitaeque probatae,
 52 par illis studium sacros evolvere libros,
 53 et castas recitare preces, quae copula verae
 54 dulcis amicitiae seros duravit in annos.
 55 Eximius quoque divina pietate Lutherus
 56 hunc coluit, studiumque pium mentemque probavit.
 57 Litterulae testes calamo dextraque Lutheri
 58 perscriptae, vivens thesauri Gosgius instar
 59 quas ostentabat, summoque adamabat honore.
 60 Gosgius iste suos cum laude educere natos,
 61 (quae res tota fere nostro contemnitur aevo)
 62 cum primis voluit, praeclaro sanguine natum,
 63 non dubius stolidi mores corrumpere vulgi,
 64 ni doctrina rudes animos et pectora firmet.
 65 Te, Daniele, igitur primis virtutibus annis
 66 imbuit, exemplis vitae et rationibus utens
 67 egregiis, generosa quibus formanda juvenus.
 68 Mox etiam studiis et honestis artibus aptum,
 69 e patria te Leucoreum transmisit ad Albim,
 70 ingenii cultum ut caperes, castaeque Minervae
 71 deditus, eximii spectare Melanchthonis ora,
 72 eloquiisque viri permulta addiscere posses
 73 nobilibus discenda viris. Cumque ipse Lutheri
 74 convictor medio fueris, puer inclite, lustris,
 75 multa videns, discensque adeo : non temporis illic
 76 jacturam es passus, veluti pars magna juventae,
 77 sed rediens animo sollers, et moribus aureis
 78 visus es illustri decus et spes magna parenti.
 79 Doctrinarum igitur sedem et virtutis avitae
 80 Italiam penetrare jubet te providus heros.
 81 Non studio quo Cimbri olim, sed discere mores
 82 diversorum hominum voluit, quae tempore nostro
 83 utilis humanis multum est prudentia rebus.
 84 Ergo tibi medio quidquid Germania tractu,
 85 quidquid et Alpinae gentes memorabile monstrant
 86 est visum. Quin et Venetae miracula sedis,
 87 Medoacumque Pado vicinum, et flumina Rheni
 88 Felsinei, vallesque Arni, Lambrumque rigentem,
 89 et septem dominos Romae tibi visere colles
 90 incluta cura fuit, nec te conjuncta Vesevo

91 ora jugo ignorat, Baiani aut limen Averni :
92 quem velut Aenean te multi adiasse putabant,
93 cum procul a patriis tam longo tempore terris
94 dissitus, exspectare tuos noctesque diesque
95 in patriam reditus sineres, nihilominus absens.
96 Nam tibi Gallorum populos, urbesque videre
97 Sequanicas placuit : quin bella gerentibus illo
98 tempore, consilio praesens armisque fuisti,
99 ut magnos virtute decet Martisque nepotes.
100 Haec mora longa tuis felici deinde recursu
101 compensata fuit, simul ac pulcherrimus heros
102 optatae optatus rediisti ad limina terrae,
103 salvus et incolumis, patrio carissimus orbi.
104 Nec celare diu tua se clarissima virtus
105 (ignea nam vis est) potuit : post funera patris
106 egregii, te Rex fidum sibi legit Achatem,
107 et regni proceres uno velut ore vocabant
108 auxilium, Daniele, tuum fidosque labores.
109 Quid faceres ? Patriae querulas contemnere voces
110 non decet, aut regum placidis se opponere dictis.
111 Aula igitur tibi clara patet, tu carus in aula
112 omnibus, aulae inter proceres pulcherrimus ibas,
113 dotibus ingenii, nativo et robore clarus.
114 Perpetuas Astraea tuo sub pectore sedes
115 confugiumque habuit. Simul advenere sorores,
116 cum Pietate Fides, animi Constantia, Candor,
117 fortunaeque hostis Prudentia, vultus et idem
118 rebus in adversis animus rebusque secundis.
119 Quid referam ? Ut Musas veteri complexus amore,
120 non raro vates etiam quid pingue sonantes
121 auxeris, et studium pleno laudaveris ore.
122 Omnia quae Regi multum placuisse potenti
123 quid mirum est ? Cui non placeat tam splendida virtus ?
124 Te Rex praecipuos inter sibi legit amicos,
125 consortemque habuit rebus cui fideret artis.
126 Hic ille est magnus Phoebique et Martis alumnus
127 Rantsovius, cui Rex equitum peditumque catervas
128 tradidit, ingenium cernens, generosaque bello
129 pectora, et immensum patriae regionis amorem.
130 Hic ille est hic Rantsovius, qui dulcia sponsae
131 oscula, devotasque preces, lacrimasque cadentes,
132 et jam promissi genialia gaudia lecti
133 post posuit patriae, multum mirandus, amori.
134 Romula gens Decios, extollat Graecia Codrum
135 laudibus, atque alios patriae qui impendere vitam
136 sustinere olim. Longe praestantior illis
137 noster hic est heros, patriae qui plenus amore,
138 sponsus in arma ruit (sed sponsi ardentius igne
139 quid fuit ? aut quid erit ?) pulchroque occumbere leto
140 non dubitat, nimium florentis prodigus aevi.
141 Haec illi sponsa est, hi primae aetatis amores
142 aut vitam et patriam bello et virtute tueri ;
143 aut patriae interitum praeclaro avertere leto.
144 O decus, o nostri pietas clarissima saeculi !
145 O decus, o nullo pietas delebilis aevo !
146 Hic ego deficio, et laudum, vir summe, tuarum
147 obruor Oceano : hic fandi vis victa laborat,
148 hic me destituit non apto tempore Phoebus.

149 Forsan et incautum quoque serior arguet aetas
150 me studiumque meum, rupta maria alta carina
151 quod tentem, supraque meas tendentia vires
152 aggrediar, tenui celebrans te maxime versu.
153 At miserande heros, magno carissime Regi,
154 quodnam omen laevum, quae te mala fata manebant ?
155 Linquentem sedes solitas, et regia tecta,
156 debitus ut Parcis numquam rediturus abires ?
157 Nullane sensisti instantis praesagia leti ?
158 et sensisti equidem, cum te subducere turbae
159 paulatim inciperes, et solus degere vitam,
160 exsequiis te rite parans mortique propinquae.
161 Disposuisti etenim, certo diplomate signans
162 omnia, per fratres tua quae post funera velles
163 aut fieri, aut donari aliis, aut nuntia ferri.
164 Nec tua larga manus turbam neglexit egenam,
165 non inopes, tenuesque scholae templique ministros.
166 Et cum nemo sui vitet discrimina fati,
167 fortiter oppugnans hostiles fervidus arces,
168 pro patria nullo cecidisti comminus ense,
169 nec caesim punctimve hominis te dextera laesit,
170 non cadit in quemquam tantum decus. Eminus ictu
171 machina muralis saevo te perdidit, ictu
172 quo tener Astyanax magnum quoque laedat Achillem.
173 Ergo jaces, turmaeque tuae, carisque querela
174 fratribus ; et pullo circumvelatus amictu
175 plangit Hymen, quassatque atras sine lumine taedas,
176 Dammiadumque decus tibi desponsata puella
177 (Dammiadum Catharina decus, quae patris Othonis
178 vix bene turgidulis mortem plorarat ocellis)
179 scissa comam, laniata genas, et pallida vultum,
180 victa dolore, animam sub anhelio pectore et ore
181 vix tenet, et vocem singultibus interrumpens
182 has repetit miseram, miserando e corde, querelas.
183 "Sicne ego te talem adspicio ? Sic funere acerbo,
184 o mea vita, jaces ? Quos me, o crudelia fata,
185 crudeles Parcae, quos me servastis in usus ?
186 Hanc ut ego tam caram animam, tam nobile corpus
187 spectarem sine luce jacens, tumulumque viderem
188 pro thalamo optato, pro speratis hymenaeis ?
189 Heu cur non eadem tecum mihi machina vitam
190 eripuit ? Vetuitque isti superesse dolori ?
191 Muneris instar erat funus mihi tale, minusque
192 infelix tumulata forem. Jam vivo ; quid autem
193 dulce mihi nisi fata meo crudelia sponso
194 orba queri, maestumque patris spectare sepulcrum."
195 Dixit et insano complevit tecta ululatu,
196 excipiunt miseram comites, stratoque reponunt.
197 Susis Habradaten, sic et Panthea maritum
198 egregium virtute olim, sine fine modoque
199 luxit, et adspiciens praecisae vulnera dextrae,
200 impositumque caput sinui, et sine sanguine corpus,
201 vulnera complevit lacrimis, fletuque cruorem
202 diluit, et querulis adjungens oscula verbis,
203 dixit "Abradate, quis te carissime nobis,
204 o fidum optatumque caput, quis sustulit inquam,
205 casus ? Ut hinc possis nobis abiisse relictis ?
206 Te sequar exstinctum, non te superesse jacente,

207 me decet. Heu misera nondum a me morte revelli
 208 care potes. Si dulce fuit mihi vivere tecum,
 209 sit quoque dulce mori, tumuloque abscondier uno."
 210 Talibus atque aliis cari quoque funera sponsi
 211 prosequitur Catharina suo carissima sponso.
 212 Illam indulgentem lacrimis, et fata gementem,
 213 stellarum vigiles mediis in noctibus ignes
 214 adspiciunt, sol ipse videt cum promit Eoam
 215 lampada, et Hesperis quando se caelat in undis.
 216 Quid vero Regis gemitus ? Quid tristia patrum
 217 lamenta, et questus ? Regio quibus undique plena est,
 218 aut quid feralis referam sollempnia pompae ?
 219 Quando ipse adspectus imo de corde dolores
 220 eliceret. Lugent proceres maestique sequuntur,
 221 non secus ac cari si quisque ad busta parentis
 222 pergeret, aut fratris ferret suprema sepulcro :
 223 tantus erat luctus, tam tristis clamor in urbe
 224 omnibus, usque adeo dum lamentabile funus
 225 expediunt, patrioque virum sub marmore condunt.
 226 Sic cum forte suo puppis spoliata magistro est,
 227 nautica turba stupet, gemitus clamorque deinde
 228 exoritur, resonatque novis ululatibus aer,
 229 volvitur ambiguum navis desertaper aequor.
 230 Nec tamen o nimium nimias iterate querelas.
 231 Flebilis ille quidem patriae, regnoque potenti
 232 occidit. At pulchrum est, et summa laude vehendum,
 233 pro patria regione mori. Vix illa vocari
 234 mors poterit, parit aeternae quae nomina famae ;
 235 illustresque animas inter, divosque peremptum
 236 collocat, aeternam donans post funera vitam.
 237 Hanc quoque Rantsovius, lumen virtutis, adeptus,
 238 liber agit curis, et mundi gaudia ridet,
 239 exutus vinclis miseris et carcere duro.
 240 Ergo quid illustrem vexatis fletibus umbram ?
 241 Non eget hic lacrimis, qui jam sine fine beatam
 242 laetus agit vitam, curas et spernit inanes.
 243 Imperturbato, quae vult Deus, omnia vultu
 244 sunt tolerando piis. Ne nobilis heroine,
 245 o Catharina, tuo quondam spes maxima sponso,
 246 fletibus ora riges nimium, quin parce querelis :
 247 hoc pietas rectorque jubet stellantis Olympi.
 248 Vos autem non consilii aut rationis egeni
 249 Rantsovii proceres, et tu par nobile fratrum,
 250 Antoni et Petre, quem fertis superate dolorem.
 251 Hoc fortes claroque decet de stemmate natos.
 252 Sic vobis, fera quos fratri mors praeripit annos,
 253 adjiciat pater omnipotens, et postmodo longo
 254 tempore Rantsoviae servet duo lumina gentis.
 255 Vivite concordēs animae, praeclaraque facta
 256 fratris et egregium meritis aequate parentem.

NOBILI ET MAGNIFICO HENRIC. RANTSOVIO IN HOLSATIA VICARIO.

SILVA IV.

S3_4 v.1 Ille ego qui nuper Daniele carmine flevi
 2 Rantsovium, fulmen belli, armatisque tremorem

3 hostibus, et patriae, Regis, virtutis amicum,
 4 nunc etiam celebrare tuas pulcherrime laudes,
 5 Cnoppero monitore mihi, fidoque patrono,
 6 percuperem, dum cygniferi te moenia Varni
 7 exiguo magnum hospitio, turbamque sequentem
 8 excipiunt, sed jam brevitatis mihi temporis obstat.
 9 Obstant magnarum gravitas et pondera rerum,
 10 virtutesque tuae, tenui quas carmine dici
 11 non decet, eximiis ne quid praeconia rebus
 12 vilia detrahare, et famam obscurare putentur.
 13 Da veniam, generose heros, ignosce fatenti,
 14 quam mihi sint tenues pangendo in carmine vires.
 15 Olim tempus erit, cum te, proceresque vetustos
 16 Rantsoviae stirpis, repetita ab origine pandam.
 17 Quotque ibi floruerint irati Martis alumni,
 18 quot Phoebos Musisque sacri, quot Regis amici,
 19 et patriae quot luminibus stirps ista triumphet,
 20 perscribam dextris tranquilla per otia Musis.
 21 Nam tua me bonitas, tua me clarissima virtus
 22 excitat, et quemvis stimulat perferre laborem,
 23 inducitque velim ut noctes vigilare serenas,
 24 sollicitus, dictis quibus, et quo carmine tandem
 25 clara tuae possim praepandere lumina genti.
 26 Quod si vestra meis ridebit Gratia Musis :
 27 vix alius me carminibus superare sonoris,
 28 aut poterit melius vestras conscribere laudes.
 29 Interea, divine heros, spes aurea Musis,
 30 ipse diu recteque vale, moderator Olympi
 31 incoeptum bene vertat iter, nutuque gubernet
 32 omnia clementi, ut populos pax laeta revisat,
 33 aurea quam pleno comitetur copia cornu,
 34 copia vel sero numquam violabilis aevo.

MEMORIAE ADRIANI TURNEBI IN ACADEMIA PARISIENSI PROFESSORIS REGII.

SILVA V.

S3_5 v.1 Has etiam lacrimas Turnebi in funere mecum
 2 funde novenarum praeses tutorque sororum
 3 Phoebe sacer, tuus ille cliens, castusque sacerdos
 4 Musarum interiit, longo dignissimus aevo.
 5 Fundite Sequanides lacrimarum flumina Musae,
 6 quaque bipartito circumdatur insula fluctu,
 7 Turnebi interitum lugubri dicite vultu.
 8 Hic ille est superis carus, magnusque magister,
 9 qui veterum monumenta patrum, sacrisque libellis
 10 abdita, sollerti cognovit acumine mentis,
 11 et vera pietate Deum, studioque colebat.
 12 Fundite Sequanides lacrimarum flumina Musae.
 13 Avulsaque comis lauro sacra fronde cupressi
 14 tempora velate, et tristes effundite questus.
 15 Hic ille est juga Parnassi qui summa tenebat,
 16 vobiscumque deae, Phoebos spectante canoro,
 17 saepe choros duxit, largosque e fontibus hausit
 18 Castaliis latices. Hinc illi vena fluebat
 19 ingenii, eloquiique nitor, linguaeque disertae.
 20 Hinc quidquid veterum praeclara poemata vatum,

21 quae Latium doctaeque adeo mirantur Athenae,
22 innumeris docuere libris, cognorat ad unguem,
23 cognitaque egregiis poterat describere verbis.
24 Fundite Sequanides lacrimarum flumina Musae.
25 Turnebique obitus evulso ostendite crine,
26 saepe illum juvenes Phoebai in vertice montis
27 plaudentem jam, praeterito victoque labore,
28 mirati obstupuere animis, quos ille benigno
29 et blando aspiciens vultu, dextraqueprehendens,
30 commonstrare viam facilem, et mollire labores
31 est solitus, faustoque suos procedere gressu.
32 Fundite Sequanides lacrimarum flumina Musae,
33 aureolumque habitum in pullas mutata lacernas.
34 Ille, ille occubuit Sophiae penetrare recessus
35 qui poterat, rerumque imas cognoscere causas.
36 Ille quid Arcturus, nitidus quid Orionis ensis,
37 quid Caper aut Haedi, quid menstrua luna notaret,
38 omnia non dubiis poterat praedicere signis.
39 Fundite Sequanides lacrimarum flumina Musae.
40 Abjectaque chely et citharis, iterate querelas.
41 Gallorum decus et lumen sidusque perenne
42 Turnebus jacet, exigua jam conditus urna,
43 cui quamvis pietate animi, candore, fideque
44 doctrinisque prior variis hoc tempore nullus
45 viveret, et doctos inter doctissimus ille
46 jure foret ; tamen usque adeo se pressit, ut omnes
47 praeferret sibi, vel saltem non inferiores
48 duceret, humano cunctis affabilis ore.
49 Non illum ambitio, nec opum vesana libido,
50 non livor vexabat iners, securus honorum
51 illustrare artes, tenebrisque educere verum,
52 tranquillamque lubens vitam laudare solebat.
53 Fundite Sequanides lacrimarum flumina Musae.
54 Proque choris plectrisque novis ululatibus auras
55 implete, et vestras vicina ex arce querelas
56 audiat, atque eadem vobis respondeat Echo.
57 Ille vir interiit, cujus si dicere laudes
58 virtutesque velim ; laudes comprehendere cunctas
59 cunctorum, jus fasque foret. Vos, inclita Musae
60 numina, tam clarum melius me nostis alumnum,
61 illius et nomen sinceraque gloria leti
62 nescia per totum jam primum augebitur orbem.
63 Illum Varnus, Arar, Viadrus, Nicer, Albis, et Ister,
64 populiferque Padus, Ligeris, Soma, Matrona, Rhenus
65 certatim extollent, et tanti funera plangent
66 maesta viri, pressisque modis encomia dicent.
67 Fundite Sequanides lacrimarum flumina Musae.
68 Non ille ulterius vestras concentibus aures
69 mulcebit, non hinc vestras accedere ripas
70 et Phoebocertans poterit deducere carmen.
71 Musica plectra silent, ad vestras gramina ripas
72 nunc arent, caelum in lacrimas se triste resolvit.
73 Obmutescit avis, florumque cacumina languent,
74 arboreaeque comae nutu dant signa doloris.
75 Ipsa etiam nunc tecta domus, et pulpita vobis
76 sacra deae, vocisque sui non inscia maerent
77 doctoris, cujus mortem nunc omnia flerent,
78 si non livor edax vitae qui munere functis

79 parcere praeterito consuevit mitior aevo :
 80 nunc tantam in rabiem et tantas insurgeret iras,
 81 queis manes, Turnebe, tuos, umbrasque ciere
 82 sustinet, et functo fatis maledicere tentat.
 83 Sed virtus, Turnebe, tua, et tua gloria major
 84 vindice freta Deo crescet, semperque vigebit.
 85 Nomen et egregium nullis abolebitur annis.
 86 Non asinum rudentem elephas, non murmura curat
 87 infamis muscae aut culicis philomela canora.
 88 Fundite Sequanides lacrimarum flumina Musae,
 89 et tumulum violis, ferrugineoque hyacintho
 90 spargite, non illo moriens indignus honore
 91 Turnebus fuerat, Phoebai assertor honoris.
 92 Copia sed laudum et vestri sacra gloria vatis
 93 me verborum inopem, meditato in carmine reddit,
 94 cultoremque suum non apto tempore Phoebus
 95 destituit. Jam coepto igitur desistere cogor.
 96 Et nostrae nil laudis egens Turnebus obivit.
 97 Sistite, Sequanides, lacrimarum flumina Musae,
 98 laetificisque modis caelesti sede recepto
 99 plaudite Turnebo, et dignas persolvite grates.
 100 Illius in tumulo mortalia membra quiescunt,
 101 nominis at totum celebratur fama per orbem.
 102 Voto etiam precibusque piis placate parentem
 103 sidereum, ingrati propter qui crimina mundi
 104 egregios virtute viros hac evocat orbis
 105 colluvie, proceresque inter, patresque reponit :
 106 ne gravius justo offensus tria lumina fontis
 107 Aonii, Ramum egregium, vestrisque canentem
 108 carmina digna modis Auratum, et pectore docto
 109 Lambinum, multosque alios his auferat oris,
 110 et similes vobis gemitus luctumque relinquat.

PARISIIS MENSE JUNIO ANNI 1565.

D. UDALRICO SEVERINO, ET D. CHRISTIANO CUSSOVIO,
 VIRIS CLARISS. ET NOBILISS.
 ILLUSTRISSIMORUMQUE POMERANIAE PRINCIPUM LEGATIS.

SILVA VI.

S3_6 v.1 Non procul a Varni ripa est nemus, undique densum
 2 arboribus, laeto rident ubi gramina flore,
 3 leniter et vitrea decurrens rivulus unda,
 4 ruricolas grati recreat stridore susurri.
 5 Huc ego mane novo solem fugientibus astris
 6 dum forte ingredior, dilecta silentia Musis
 7 ut soleo, et sedes quaerens meditantibus aptas.
 8 Ecce decem egregias ripis assistere divas
 9 conspicor, et placide gratas miscere loquelas,
 10 seque salutantes dextris conjungere dextras.
 11 Protinus ergo comae flexo pede detraho tegmen
 12 impositum, venerorque deas, tacitusque resisto.
 13 Ipsa novenarum mihi numina docta sororum
 14 nota fuere quidem, totiens conspecta ; sed illis
 15 mixta erat, et facie cunctis excelsior ibat,
 16 augusta gravitate decens, animoque virili,

17 virgo gerens gladium dextra, laevaue bilancem.
18 Quae cum visa prius numquam foret, oris honorem
19 miror, et ut possim, quae nam sit, scire laboro.
20 Illa sed ore prior, juvenis, quod pectore prompto
21 scire cupis, tibi scire licet : sum scilicet una
22 ex reliquis non nota tibi. Me regia caeli
23 justitiam Astraeamve vocat, cum saecula terris
24 aurea florent, et pax invicta manebat,
25 virtutisque decus, populis optata per orbem
26 jura dabam, studiisque amplis et honore colebar.
27 Sed veluti rutilo, pulchras cum lumine terras
28 Cynthus exoriens recreat, nec nubila silvas
29 aut pluviae turbant, gratis philomela sub umbris
30 dulce canit, vincitque omnes animosa volucres ;
31 at cum tristis hiems, fususque e nubibus imber
32 perfurit, illa fugit, latebrasque inquit in antris
33 frondiferis, venti volucrum pro voce loquuntur.
34 Sic ego cum scelerum fraudumque exorta cupido
35 improba, sanguineas implevit crimine terras :
36 protinus excedens, petii suprema tonantis
37 atria, spectavique diu, quam foeda pararent
38 crimina mortales ; leges pretio ille refigit,
39 hic matris violat thalamos, necat ille parentem,
40 hic auro patriam vendit : vi vincitur aequum.
41 Saepe tenebrosis igitur mea nubibus ora
42 contexi, supplexque deos ad justa vocavi
43 fulmina, vindicibus quae talia crimina flammis
44 obruerent. Sed lenta Dei procedit ad iram
45 dextera, quam placido clementia mitigat ore,
46 inde moram justa poenae gravitate rependens.
47 Cur igitur terras caelo delapsa revisam
48 nunc iterum, fortasse rogas ? Paene omnia fatis
49 in pejus cum lapsa ruant, meliora nec inde
50 sit sperare datum, celso Pomerania caelo
51 me retrahit, paucique duces, quibus inclita curae
52 justitia est, et vester honos, o candida Musae
53 numina. Prae reliquis tamen ut Pomerania tantis
54 laudibus excellit, sic et gratissima sedes
55 est mihi, qua cuperem longo sine fine morari
56 tempore, nec placitis umquam discedere terris.
57 Me, sincera animi praestans pietate Philippus,
58 principe quo multis nullus prudentior annis
59 praefuit, usque adeo coluit, vestigia patris
60 quin etiam nati, carae qui jura tuentur
61 jam patriae, magna juvenes cum laude sequuntur.
62 Vos illos teneris Musae fovistis ab annis,
63 et docuistis opes animi praeferre caducis
64 terrenisque bonis. Saepe illos candida Phoebe,
65 dum reliqui ludo indulgent, dum pocula siccant,
66 invigilare libris posita de nocte lucerna
67 vidit, et arcanos Sophiae penetrare recessus ;
68 saepe illos Sol aequoreis egressus ab undis,
69 dum multos dormire juvat, perdiscere vidit,
70 quidquid habent veterum praeclara poemata vatum,
71 heroesque sibi tacita proponere mente.
72 Scilicet hinc verae se nobilitatis origo
73 tollit, et aereum celsis caput ingerit astris.
74 Parte alia pietate potens Barnimus et annis,

75 qua Viadri liquor arva rigat, quae principe digna
76 iudicat esse bono, simili pietate fideque
77 efficit, et patriae cives in pace tuetur,
78 me reverenter amans. Quin haec exempla regentum
79 inflammant populos etiam virtutis amore,
80 majori ut mea iussa fide studioque sequantur.
81 Sed qua laude veham proceres ? Sapientia quorum
82 principibus perspecta viris, ingentia praestat
83 commoda per patrias urbes, qui pectora flectunt
84 consiliis monitisque ducum, populique salutem,
85 ut patriae patres, mira cum laude tuentur.
86 Hos inter ceu stella micat pulcherrimus heros
87 Ulricus, celebri Suerina stirpe creatus,
88 magnifica gravitate senex. Laurentius illi
89 alter adest Otho, laude potens, linguaque diserta,
90 principis orando qui nota negotia tractat.
91 His bene Cussovius facunda Palladis arte
92 doctrinaque valens, et comi affabilis ore
93 Belovius Charitum decus, et lux stirpis avitae
94 jungentur, multique alii, queis patria curae.
95 Hos tamen ante alios jam praedico, scilicet illos
96 cum fide patriis me complectantur in oris,
97 jam rursus comitata sequor, vicina rosarum
98 legati dum tecta petunt, quo Caesar, et ipsi
99 rex successurus, ter Maximus Aemilianus,
100 permultique duces, procerum misere coronam,
101 pacis ut aequoreis reddant sacra munera regnis.
102 Felix, o nimium felix Pomeranica tellus,
103 siderea tu pace viges, splendore triumphos
104 quae superat : tu tranquillae das munera sedis
105 hospitiumque piis, tu doctis otia Muis
106 egregiisque viris praebes, tu templa scholasque
107 ceu nutrix studiosa foves, tu jura volenti
108 das populo, qui sponte colit justumque piumque,
109 et patriae ducibus numquam parere recusat.
110 Non te livor edax, non te discordia, non te
111 litis amor vexat, non exsecrabile bellum.
112 Vos quoque, felices Pomeranae o lumina terrae,
113 haec sua dona Deus per vos, velut organa, genti
114 impertit patriae. Per vos pax aurea floret,
115 et celebrat Christi tranquilla Ecclesia laudes.
116 Per vos prospicitur nec cedat viribus aequum,
117 per vos cana fides, sancta et reverentia legum,
118 saeculaque adveniunt Pomeranis aurea sceptris.
119 Hac ego sede lubens, maneo semperque manebo.
120 Quin Deus ipse sibi minima non parte placere
121 hunc populum summosque duces, re comprobat ipsa,
122 nam bene si memini, juvenis carissime, nuper
123 sunt tibi visa ducum, docto ducente Metello,
124 atria, qua celsis surgunt ad sidera pinnis
125 Wolgastum, Viadrique premens navale Sidenum :
126 principibus, visa est etiam tibi, subdita tellus.
127 Gaudeat uberibus glebosa Turingia campis,
128 Paeonii fluvios, silvasque Boemia jactet.
129 Haec regio neque frugiferis et pinguibus arvis,
130 nec fluviis lacubusque caret, quin rebus abundat
131 omnibus humanae quas vitae postulat usus.
132 Retibus hic passim sapidos ad litora pisces

133 aequoreis vicina vadis gens extrahit ; illic
 134 fertile gramen oves, aut tondent prata juvenci,
 135 nec procul inde comas silvarum brachia pandunt.
 136 Hic fecundus ager curvo renovatur aratro,
 137 nec sua decipiunt operosum vota colonum,
 138 immissa cum falce seges cadit, omnia tanto
 139 fenore proveniunt. Vastum quid mercibus aequor
 140 utile mutandis, cinctas quid moenibus urbes
 141 oppidaque ampla loci : saltus et lustra ferarum
 142 Quid spatiosa canam ? Salve, Pomerania, salve.
 143 Propensa te mente Deus, quem pectore fido
 144 sinceroque colis, tanta bonitate vicissim
 145 diligit, et vario rerum te munere ditat.
 146 Huic tu funde preces, huic fido semper adhaere
 147 pectore, et ut patriae, pulcherrima sidera terrae,
 148 eximios virtute duces, tueatur ubique
 149 defendatque roga : sic et tua commoda crescent,
 150 tantaque prosperitas nullo delebitur aevo.
 151 Ista novenarum coetu stipata sororum,
 152 carmina cantabat, superis Astraera relictis.
 153 Nec mora Calliope me chartis illa notare
 154 protinus et vobis proceres transmittersse jussit.
 155 Si placet et patitur vestrorum cura laborum,
 156 haec animo et facili cognoscite carmina vultu,
 157 nec leve non magni contemnite munus agelli.
 158 Hoc Astraera petit, Musisque adjunctus Apollo,
 159 hoc decet Astraerae summos Phoebique patronos.

STUDIOSIS ACADEMIAE ROSTOCHIENSIS.

SILVA VII.

S3_7 v.1 Si quis ad Elaeas olim contendere metas
 2 ausus erat, multosque annos ad maxima circi
 3 sudasset spatia, ut stadio cum laude peracto
 4 acciperet merita tandem nova praemia palmae,
 5 non ille a quovis tantos poscebat honores,
 6 Elaeos penes ista senes, quos maxima virtus
 7 ante alios celebres toto tum fecerat orbe.
 8 Hi praeerant ludo, hi cunctis de more vocatis,
 9 victorem in populi, praeconis voce, corona
 10 frondibus ornabant oleae, titulisque notabant.
 11 Pertinuit tamen ad juvenes, honor iste, virosque
 12 ingenuos tantum et fortes, aptosque labori.
 13 Non dubio patre prognatus, non mollis et excors,
 14 talibus audebat tum sese inferre theatris.
 15 Non aliter, si sacra licet conferre profanis,
 16 si quis in Aonii scandendo culmine montis
 17 sudavit multum, et tandem post mille labores,
 18 victor ad optatam potuit se sistere metam :
 19 nunc quoque speratae fert clara insignia palmae.
 20 Non tamen a quovis plebeio, offundere fucum
 21 cui rudis ignavusque queat. Datur ista potestas
 22 officiumque scholis, quae justo examine pensant
 23 doctrinam et mores juvenum, vitamque peractam,
 24 exuviis latitans asinus ne forte leonis
 25 decipiat stolidos, et se ipsum denique prodat.

26 Sic quoque Pieridum sincerus cultor Orestes
 27 vir pius, et triplicis quem clara scientia linguae
 28 exornat, Musaeque prius cuiserta pararunt
 29 myrtea, Varniadum roseas concessit ad undas,
 30 confecto insignem ut capiat certamine laurum.
 31 Nunc quoque doctrinae specimen, linguaeque disertae
 32 edidit ipse scholae, vitamque ita labe carentem
 33 novimus, ut tanto dignus credatur honore.
 34 Ergo quod auspicio coeptum felice geratur,
 35 cras ubi signa dabit sextae sol aureus horae,
 36 in cathedra, solitoque loco, quem diximus, illi
 37 clara magisterii conferre insignia votis
 38 unanimes volumus. Quare studiosa juvenus,
 39 doctores, proceresque scholae de more frequentes
 40 tunc aderunt, nobisque animo linguisque favebunt.
 41 Hoc decet Aonidum et cultos virtutis alumnos,
 42 hoc decet eximios Phoebi Charitumque patronos.

'XENOS AXENOS' AD P. MELISSUM FRANCUM.

SILVA VIII.

S3_8 v.1 Est regio Arctoïis non plane incognita terris,
 2 nomina non pono, rigidam quam vincere Thracen
 3 barbariae, Scythiamque puto. Cognovimus ipsi,
 4 dum procul a patria peregrinas visimus urbes.
 5 Scilicet hic nocte exclusi, dum vespere primo
 6 vicini ad pagi cauponam tendimus, illic
 7 caupo senex et anus foedissima, limine primo
 8 nos prohibent, aliasque jubent inquirere sedes.
 9 Nos precibus crebro instantes, mollivimus ipsum
 10 cauponem tandem ; longe sed durior uxor
 11 in nos inque senem convicia dura maritum
 12 evomit, et tantum non verbera utrisque minatur.
 13 Hospite placato, vetulae nil saeva morati
 14 jurgia, tecta casae sed spe meliore subimus.
 15 Ecce autem fumosa domus, septoque sub uno
 16 ipse senex, rixisque tumens morosaque conjux
 17 cum natis male compositis torvisque sedebat.
 18 Hos circa vaccae, vituli, capraeque suesque
 19 anseribusque anates socii, gallique canesque
 20 atque vagabantur feles, pinguesque caballi.
 21 Non aliam, si sacra licet conferre profanis,
 22 crediderim faciem rerum visam esse, Melisse,
 23 undique cum paribus lectis animalibus arcam
 24 Lamechides pius intravit, mundumque perire
 25 funditus, atque undas tandem decrescere vidit.
 26 Hospitio tali exceptus, dum singula lustro,
 27 barbariemque loci admiror, vitamque ferinam ;
 28 instantes socii potumque cibumque petebant.
 29 Sed citius duro liquidas e pumice lymphas
 30 eliceres, quam vel verbum factumque benignum
 31 talibus a monstris ; qui nil nisi forte coacti
 32 ense minisque boni facient, dum vita manebit,
 33 unde nec immeritas solvunt pro crimine poenas.
 34 Ipse tamen caupo vetulae licet ante timeret
 35 jurgia, tam crebris victus precibusque minisque

36 instaurare focum incepit, flammisque ciere.
 37 Sed quia lignorum est illis defectus in oris,
 38 pars terram effodiunt pinguem raramque levemque,
 39 quae picis accensae lentique bituminis instar
 40 inficitur flammis, admotaque concipit ignes.
 41 Pars, quibus in pagis et ruri degitur aevum,
 42 excrementa boum plerumque ad lumina Solis
 43 exsiccant, lignique loco dant ignibus, ipsis
 44 inde sibi natisque suis alimenta coquentes.
 45 Quos inter caupo, qui talem ubi struxerat ignem,
 46 tandem amplam panis molem, quam tollere solus
 47 vix poterat, fumoque atram porrexit. Ut illam
 48 scindimus, usque adeo dura et male cocta videtur,
 49 plenaque furfuribus, terram ut nigrore referret,
 50 atque adeo mensae tenebras induceret atras.
 51 Caseus huic viridis pani mole aequiparandus
 52 additur, hunc cenae finem fore nuntiat ipse.
 53 Et potum urgentes socii, post murmura longa
 54 vix tandem urceolum cocti extorsere liquoris.
 55 Horum conspectu saturis, et pane remoto,
 56 stramen ubi vaccae, porci, capraeque cubabant,
 57 monstratur sane egregium, gratumque cubile.
 58 Omnibus hic promptis languentia tradere somno
 59 lumina, grunnitus, strepitus, mugitus, et acris
 60 mane cucurritus galli, latransque molossus
 61 impediere. Cubans et humi sibi quisque timebat,
 62 ne pecudum laesus praedura calce doleret.
 63 Quin nondum ad mediam nox venerat humida metam,
 64 cum vento et pluviis etiam penetrabile tectum
 65 infecit madidas, madido cum stramine, vestes.
 66 Sic misere infausta tractati nocte, dolentes
 67 jejunique aegre lucem exspectavimus ortam.
 68 I nunc, et vultus placidos, aut nobile quaere
 69 hospitium, regione ista, qua longius absunt
 70 grata affabilitas, Charitesque et dexter Apollo.

IN DOCTRINAM SPHAERICAM,
 AD STUDIOSES ACADEMIAE ROSTOCHIENSIS.

SILVA IX.

S3_9 v.1 Fulget in immenso divina potentia mundo
 2 non alibi melius quam si pulcherrima caeli
 3 lumina conspicias solitos servantia motus.
 4 Atque ideo erectos ad caelum tollere vultus
 5 nos mundi sator ipse jubens, vult astra tueri
 6 ut dextrae sapientis opus, bonitasque paterna
 7 nota sit et toti ipsius praesentia mundo.
 8 Ergo bonis, caeloque satis nil mentibus usquam
 9 gratius est, doctrina illis non suavior ulla.
 10 Quam quae cognati aspiciens orientia caeli
 11 astra, cupit patriam in terris praenosceret sedem.
 12 Haec docet et motus fixos, caelique figuram,
 13 stellarumque notas varias et nomina signat.
 14 Arcturum haec, pluviasque Hyadas, geminosque Triones,
 15 Pleiadumque gregem, nitidumque Orionis ensem,
 16 aestiferumque Canem, Chironem et Persea monstrant,

17 atque alias puro fulgentes lumine stellas.
 18 Haec docet ut solus lucens, sol omnia puris
 19 illustret radiis ; discrimina temporis idem
 20 et lucis noctisque vices, diversa dierum
 21 ut spatia efficiat ; cur se cito tingere soles
 22 hiberni Oceano properent, vel quae mora tardet
 23 aestivos ; ut luna suam de lumine solis
 24 accipiat lucem, atque augens, minuensque vicissim
 25 orbem, ceu fastis menses discriminet anni ;
 26 a sole aversis eadem cur cornibus Euros
 27 aspiciat crescens, Zephyros minuenda sequatur,
 28 tardius aut citius conjuncti a lumine solis
 29 cur redeat ; cur in terrae quando incidit umbras
 30 soli adversa, suos taetra ferrugine vultus
 31 contegat, objectuque sui cur corporis ipsa
 32 Phoebis mundum radiis et lumine privet.
 33 Quomodo bissenis totius mensibus anni
 34 intereat moriens, totiens redivivaque lucem
 35 induat, aeternae nobis praenuntia vitae.
 36 Nec tibi Nasonis sacros evolvere fastos,
 37 nec licet Ascraeo cantantes carmine Musas,
 38 aut etiam magni tractare inventa Maronis,
 39 si tibi non constant toto labentia caelo
 40 sidera, mox iterum fixis orientia metis.
 41 Historiam quod si sacram aut tractare profanam
 42 temporis ignarus cupias, positusque locorum,
 43 caecus in ignota veluti regione vagaris.
 44 Has tibi terrarum partes descriptio mundi
 45 indicat, atque urbes, tractus, mare, flumina, ripas,
 46 regnaque et intervalla docet diversa locorum,
 47 quae si non liceat coram lustrando notare ;
 48 hic animo totum poteris percurrere mundum.
 49 Annorum vero series, quod lumina cunctis
 50 praeferat historiis, nullum ignorare putandum est.
 51 Haec quicumque volet caelestia corpora mecum
 52 aspicere, et patrii vestigia noscere caeli,
 53 me duce carpat iter, seque auditoribus addat,
 54 quos ego de pulchra numerandi sedulus arte
 55 hactenus institui : caeli quibus addere motus
 56 jam placet, aetheriosque orbis, Phoebique laborem.
 57 Tu studiosa cohors generosa enitere cura,
 58 ne, quae trado tibi studio meditata fideli,
 59 intellecta prius quam sint neglecta relinquant.

SILVARUM STOMACHUS.

SILVA X.

S3_10 v.1 Prolue te Cerere et vino, sectare lupanar,
 2 diductis pedibus natibusque incede, feroci
 3 aspectu, cubito erecto. Quin morio tamquam
 4 indue scurriles, cristato vertice, vestes ;
 5 et medium stertendo diem consume, magistros
 6 irride fatuosque voca : nunc ebrius urbem
 7 vel media percurrere die, vel nocte fenestras
 8 elide ad cathedras Musarum et Palladis arces,
 9 verberibus lacera innocuos, invade modestos,

10 ingemina horrisonos tota vel nocte boatus :
 11 nil opus est veniam petere, aut avertere poenas.
 12 Haec prohibent multi, sed punit nemo : verentur
 13 omnes tam levibus juvenes offendere nugis.
 14 Omnes austeri fugiunt tetricique Catonis
 15 nomina, blandiri et famulis, dominisque ministris
 16 assueti, ne dum effrenes compescere temptent.
 17 At si quis vigili studio magnoque labore
 18 exponat veterum divina poemata vatum,
 19 eque illis juvenum linguas et pectora formet,
 20 hoc mera stultitia est, pietas quam ferre fidesque
 21 non queat. Hic opus est venia dictisque severis.
 22 His studiis non ulla dies, non convenit hora.
 23 At memini quondam data praemia, laudibus usque
 24 in caelum elatos juvenes, queis talia curae.
 25 Nunc aliis opus est dominis parere, vel ultro
 26 si recte facias. Lex est sua cuique libido.
 27 Pro vitio virtus patulo proscinditur ore.
 28 Quid secus aut recte in studiis vitaque geratur
 29 aut nulli aut paucis curae est. Sua commoda quisque
 30 interea quaerit cupide : respublica plane
 31 negligitur, virtus nihil est nisi nomen inane.
 32 Quid facias igitur ? Si foeda ignavia laus est,
 33 praemia si vicium, virtus si damna meretur :
 34 est scelus ingenuas didicisse fideliter artes.

IN DOCTRINAM HORATII DE TEMPERANTIA.

SILVA XI.

S3_11 v.1 Quae bona mundities generi ferat aurea nostro,
 2 quae mala luxuries, et amor sceleratus edendi
 3 ostrea, pavones, rhombos, mullosque scarosque,
 4 et quae condimenta cibi sint optima ; quis sit
 5 divitiarum usus rectissimus : optimus ille
 6 nos docet arguto mirandus Horatius ore.
 7 Quam partem studiosa tibi cras mane juvenus
 8 evolvam puram salibus puroque lepore.
 9 Salve, o sobrietas custos virtutis, et auctrix
 10 ingenii, vitaeque hominum morumque magistra,
 11 quam febres, morbique timent, cui sera senectus
 12 assurgit cano multum veneranda capillo.
 13 At te perniciem juvenum, pestemque senectae,
 14 o foeda ebrietas, o detestanda, madentem
 15 ebriolorum inter jubeo plorare catervam.
 16 Te virtus inimica odit cane pejus et angue,
 17 oderunt vita, ingenium, fugit ipsa senectus,
 18 est quibus ebrietate nihil damnosius. At te
 19 sectantur febres, morbi, mors denique, numquam
 20 quo tu cumque subis procul est : tibi ubique minatur.
 21 Teque utinam piceis Orci mox obruat undis.

IN TERENCEM GEORGII FABRICII 'ANELIDOZON' ET SUPPRESSUM.

SILVA XII.

S3_12 v.1 Sunt sale quis nigro conditos edere libros
 2 rixosus sine fine labor : sunt litibus orbem
 3 qui complent, turbantque pias, et templa piorum
 4 progenies Cadmea scholas, non illa magistri
 5 quem totiens jactant pacis praecepta secuti.
 6 Interea paucos studiis melioribus aptos
 7 immatura dies, vel funere mergit acerbo,
 8 vel vivos odiis et iniqua sorte fatigat.
 9 Hinc pietas contempta gemit, lucique priori
 10 incipit horrendam paulatim offundere nubem
 11 barbaries, pauci restant, qui fortiter illi
 12 conjunctis animis cupiant occurrere pesti.
 13 Non hoc te latuit quondam, divine Melanchthon,
 14 sedulus ornare parvas cum maximus artes.
 15 Te Phoebus cecidisse gemit. Camerarius ille
 16 restat adhuc, vatesque pius, rectorque juventae
 17 Fabricius, qui quo studio, quantoque labore
 18 profuerit Musis, et earum castra secutis,
 19 quis bonus est toto juvenis qui nesciat orbe ?
 20 Nunc etiam purus dulcisque Terentius auctor.
 21 Mercurii sale conditum niveoque lepore
 22 certatim veteres caelo quem laudibus aequant.
 23 En novus illius studiis, operaque fideli
 24 integer enodatus adest mendisque solutus.
 25 In quo seu veterum sensus, sua sive cuique
 26 propria personae, sive argumenta vel usum
 27 verborum, rerumque petas, aut pondera spectes ;
 28 nil studiosa cohors hic quod desideret ultra est.
 29 Dic igitur grates auctoribus, atque precare
 30 ut Deus alveolos et apes mel tale legentes
 31 protegat, et similes donet quandoque nepotes,
 32 carbariem procul ad fucos vespasque repellat.

DE HISTORIA AEMILII PROBI, SEU CORNELII NEPOTIS,
AD ARNOLDUM WITFELDIUM EQUITEM DANUM, ET CONSILIARIUM REGIUM.

SILVA XIII.

S3_13 v.1 Historiam humanae speculum qui nobile vitae
 2 dixit, is historiae veraci providus ore
 3 naturam vere expressit, quique illius usus
 4 utilitasque foret, perfectum novit ad unguem.
 5 Non virtutum etenim tantum hic exempla videntur,
 6 quae cum laude sequi quis pro tempore possit :
 7 crimina non tantum, scelerumque exempla pudenda
 8 hic sunt perscripta, et comitantes crimina poenae,
 9 quae fugias odioque habeas cane pejus et angue ;
 10 verum etiam mores hominum, commenta, dolique
 11 ingenia, et technae, rerumque eventa priorum
 12 commemorata libris, aevi praesentis adumbrant
 13 omnibus effigiem, qui non sine mente sagaci
 14 cuncta legunt, et prisca novis componere norunt.
 15 Praeterea tam praestantes virtute fideque,

16 doctrinave viri, et memores quandoque merendo
 17 qui multos fecere sui, cum luminis hujus
 18 vitalem liquere auram ; post funera virtus
 19 illorum peritura alias, bene cognita durat,
 20 historicis comprehensa libris, vel postuma laeto
 21 flore reviviscit scriptis dispersa per orbem.
 22 Quae quicumque vident, animus nisi degener insit,
 23 pectore concipiunt flammam, quae vivida tandem
 24 crescit in immensum, faculis caelestibus ardens
 25 usque adeo, ut liquidis sedari nesciat undis,
 26 donec adaequarit priscorum propria laudes
 27 gloria, mox iterum sero celebranda nepoti.
 28 Ardor hic Aemilium, et victoris fulmina Martis
 29 Scipiadas, multosque alios virtutis in arcem
 30 extulit, et vera fecit clarescere fama
 31 jampridem, nisi vana fides. Hic tempore nostro
 32 ingenia inflammat multorum, ut multa legentes
 33 sparsa per historias heroum splendida facta,
 34 consilia, eventus, postque ipsam encomia mortem ;
 35 ipsi eadem cupiant quasi per vestigia verae
 36 laudis inire viam, paribusque assurgere coeptis,
 37 atque adeo serae committere nomina fama.
 38 Quos inter non postremus profitebere nomen,
 39 o Arnolde, decus Danaum Themidisque disertae.
 40 Namque idem stimulis animum tibi concitat ardor,
 41 ceu nomen quoque promittit tibi dulcis honesti
 42 verarumque adeo laudum et virtutis amorem ;
 43 cognomen vero candoris amabile signum est,
 44 quem factis quoque declarans, hoc accipe miti
 45 vultu animoque libens speculum, quod gesta virorum.
 46 Inclita nobilium cupide inspicientibus offert :
 47 in patriam meritis illosque ut strenuus aequas
 48 nitere, quod facis, et caelo te laudibus infer.

"ANTAPOBATERION" ACADEMIAE ROSTOCHIENSIS.
 AD JOANNEM CYRIACUM L. BARONEM POLHAEMIUM WARTENBURGIUM,
 QUO IPSIUS VALEDICTIONI RESPONDETUR.

SILVA XIV.

S3_14 v.1 Tristis ut abrepto luget pia mater alumno
 2 dulce onus in gremio pridem quem laeta fovebat,
 3 sic grege Varniadum comitata Academia luget
 4 squalida, maesta, gemens cum te tam dulce roseti
 5 praesidiumque decusque sui discedere tristi
 6 aspicit intuitu praestans Baro, gloria regni
 7 Austriadum, columem matris, patriae ancora gentis.
 8 Et cur non doleat ? Digressu maesta supremo
 9 tam cari capitis, tam grati et suavis alumni ?
 10 Unum prae reliquis tota quem mente animoque
 11 diligere, ornare, et sceptris armare solebat,
 12 sceptris Palladiis, quis tu frenare rebelles,
 13 protegere innocuos, laesos defendere posses.
 14 Quae num quis juvenum tanta cum laude vel ante
 15 jam tulerit, vel laturus sit postmodo, causa est
 16 cur dubitem : cum tu rector sic legibus ipse
 17 parueris, nihil ut faceres, quod subdita turba

18 carpere vel posset, vel non justeque pieque
19 sollicitis imitari animis. Sic vera parantur
20 legibus exempla, et sic legibus imperat ipsis
21 parendo studiosa cohors, nullisque minora
22 regna sibi parat obsequio. Rex maximus ille est,
23 qui semet regere et leges non temnere novit.
24 Tale tibi regnum hic partum est cum sceptrum teneres,
25 o generose Baro. Nam te quod legibus esset
26 adversum fecisse aliquid quis dicere possit ?
27 Tu ceu lenta salix curvanti cedit, et omne
28 flectitur in latus arbitrio tractantis amice :
29 sic vel sponte tua legi doctisque magistris
30 cedebas, gaudensque regi et parere monenti.
31 Imprimis pietatis erat tibi maxima cura,
32 proxima Sophrosynes, qua tu duce spernere Bacchum
33 et Cererem et Venerem poteras somnumque gulamque,
34 et reliquas juvenum pestes, quis maxima turba
35 inquinat affligens teneras cum corpore mentes.
36 Hac ipsa duce, cum Musis Phoeboque canoro,
37 et Charites simul ingenuas castasque puellas,
38 suaviter allicere, et tecum retinere solebas.
39 Nam seu forte domi studiis librisque vacares,
40 seu quid forte foris gereres, sive illa jocosa
41 seria sive forent ; ipsis ex gestibus, ipsis
42 ex dictis, facieque ipsa lucere decorum
43 vidimus et Charites, cassos et felle lepores,
44 indicat hoc ipsum clemens, et amabile carmen,
45 singula quo Rosei placuit jam membra Lycei
46 compellare tibi, et nimio quoque forsitan amore
47 impulso, immodicis laudes augere Camenis.
48 Pro quibus aeternas maerens Academia grates
49 me tibi communi, nisi sit grave, nomine jussit
50 dicere, et aeterni monumentum et pignus amoris
51 hoc tibi cedenti maesto transmittere vultu.
52 Ergo tibi, generose Baro, quas pectora possunt
53 concipere, et quas lingua valet depromere grates
54 dicimus ex animo cuncti tibi dulce rosetum
55 qui colimus, quod Varniadum lustrare Lycea
56 non tibi displicuit, gelido contermina ponto
57 sint licet, et rigidis aquilonum obnoxia flabris.
58 Quodque adeo, totum septem cum mensibus annum
59 hic tibi dulce fuit positus subsistere curis,
60 et splendore tuo subsellia nostra frequenter
61 ornare, et faciles praebere doctibus aures ;
62 atque adeo placido quod clementique favore
63 nos omnes es complexus, vultuque sereno,
64 nulla supercilii ut nubes, fastusque videri
65 indicium posset, quod valde hoc tempore rarum
66 est illis, quos nobilitas ceu follibus inflat.
67 Singula quid memorare opus est ? Debere fatemur
68 nos tibi plura omnes quam par ut gratia tantis
69 responderet queat meritis, aut aequa referre.
70 Quocirca memori contentus mente tuique
71 perstudiosa ut sis, una te voce rogamus.
72 Ante tuus Varno miscebitur Ister, et Albis
73 ibit in Euxinum converso flumine pontum,
74 quam vero nos immemores quisquam arguat ore.
75 Interea, generose Baro, quo matris amandae

76 jussa vocant, et fata trahunt, sequere impiger, et seu
 77 Caesaris aula tibi celso se limine pandet ;
 78 seu prius Italicas ibis novus hospes ad urbes ;
 79 sis felix nostrique memor, veterisque roseti.
 80 Sic tibi nil noceant instantis frigora brumae.
 81 Sic diuturna tuae sint aurea fila juventae.
 82 Sic Hygiea comes nullo te deserat aevo.

PROPEMPTICON DOMINO ZACHARIAE WELSIO,
 EX MEGAPOLI IN SILESIAM REDEUNTI.

SILVA XV.

S3_15 v.1 Iliacae incoluit Pallas dum pergama Trojae,
 2 Troja invicta fuit : sublata Pallade et ipso
 3 Palladio, ruere in pejus fortuna potentis
 4 incepit Priami. Nil vis, nil Hectoris arma,
 5 nil Anchisiadae indomiti valuere lacerti.
 6 Non etenim Mars, sed cerebro Jovis orta virago,
 7 florentes urbes, et regna antiqua tuetur.
 8 Qua rapta, intereunt urbes, et regna : Minervae
 9 succedit fera barbaries, vi vincitur aequum,
 10 seditio furit, aut libertas exsulat omnis.
 11 Felices igitur populi, felicia regna,
 12 Palladii quis cura fuit, quod munere caeli
 13 paucorum cerebro concessum est, longior aetas
 14 quos docuit, rerumque usus, moderatio, candor,
 15 ingenii vis, et pietas primaria virtus.
 16 Haec partim natura tibi, partim illa magistra
 17 optima magnarum quando experientia rerum
 18 contulit, o Welsi clarissime ; jure dolemus
 19 te patrias revocare urbes e principis aula,
 20 cui tua nota fides, et virtus grata, vigorque
 21 ingenii perspectus erat : quin templa Minervae
 22 jure dolent, quae te carum fidumque patronum
 23 cognovere diu. Sed cum retrahantque trahantque
 24 fata homines, quisnam fatis obsistere tentet ?
 25 Vade igitur, nostri non immemor, optime Welsi,
 26 incolumis, quo fata vocant, et patria tellus,
 27 et cumula Elysias meritis ingentibus urbes.

IV

NATHANIS CHYTRAEI SILVARUM LIBER QUARTUS.

(1230 vers)

AD GENEROSUM OMNIQUE VIRTUTIS, ET DOCTRINAE LAUDE CLARISSIMUM
D. ANDREAM DUDITIUM, SENATOREM ET ORATOREM CAESAREUM.

SILVA PRIMA.

S4_1 v.1 Duditium quoque Musarum Phoebique patronum
2 insignem, Sophiaeque decus, Suadaeque disertae
3 quis celebrare vetet ? Cui sit bene cognita virtus
4 illius, et generis decora, atque illustris avitae
5 nobilitatis honos, facundae gratia linguae,
6 excultaque adeo vis et sapientia mentis.
7 Felicem ante alios illum ! Quem nomen avorum
8 nobile, et altarum praeclara scientia rerum,
9 virtutisque decus, rectae rationis alumnae,
10 nobilitat. Non ille hominum de sanguine tantum,
11 aut sine mente Dei terreno nascitur orbe,
12 sed genus ex ipso deducens nobile caelo,
13 ceu deus in terris, immenso munere divum,
14 jura dat, et summo dignus censetur honore.
15 Namque ideo mortale genus natura, Deusque
16 ordine destinguit, fixa quem lege tuetur :
17 nobilis ante alios ut rerum sceptrata teneret,
18 infirmosque manu et sumptis defenderet armis.
19 Attamen egregiis quicumque parentibus ortus,
20 excoluit studiis animum, Musisque dicatus,
21 ipse per ingenuas altum caput extulit artes ;
22 sic superat reliquos omnes, qui nomen avitum,
23 claraque majorum solummodo facta recensent,
24 lucifer ut toto fulgentia sidera caelo.
25 Ergo quis ut par est nomen laudesque decusque
26 Duditii celebrare queat ? Qui magnus honore
27 sit licet, et celso majorum sanguine cretus,
28 ingenio tamen et summis virtutibus, ipse
29 nobiliora facit generosae nomina stirpis.
30 Salve igitur, coeptisque libens allabere nostris,
31 salve iterum, tu lux patriae, tu gloria certa
32 Pannoniae fulges, quae sicut Apolline Delos,
33 et Jove Creta suo gaudet : sic te quoque magnis
34 annumerat nostri verax heroibus aevi.
35 Tu magna virtute potens, et Caesaris aulae,
36 regibus et carus, magno celebraris in orbe.
37 Scilicet hinc verae se nobilitatis origo,
38 hinc verae se laudis honos, hinc gloria famae
39 tollit, et aereum celsis caput inferit astris :
40 nam veluti nequeunt nocturni in turribus ignes
41 caelari, aut patriis sub lucem in montibus arces,
42 ignea sic radiis, habitans sic ardua virtus
43 tecta latere nequit, variis sed nota sub oris,
44 omnia perfundit faculis et luce serena,
45 humanasque sui mentes inflamat amore.

46 Sic ego quottidie summis dum laudibus astris
 47 aequari nomenque tuum laudesque perennes
 48 audio, cognoscoque domus et gentis honorem,
 49 quem tamen exsuperes vera pietate fideque ;
 50 utpote quae Latii de faucibus Antichristi
 51 ereptum nuper veri te in luce locarint :
 52 ipse (fatebor enim) miro succensus amore
 53 virtutum laudisque tuae, non pectoris ultra
 54 hanc volui caelare mei sed prodere flammam ;
 55 paucaque cycniferas Varni quae nuper ad undas
 56 deduxit rudibus tibi nostra Thalia camenis,
 57 indicium addictae transmitters carmina mentis.
 58 Quae tibi si vultu fuerint perlecta sereno,
 59 ut bonitas candorque volunt sperare timentem ;
 60 Monaviusque jubet carus tibi, carus amicis
 61 omnibus, et fido ante alios mihi junctus amore :
 62 gaudia contingent nostris gratissima Musis,
 63 jam cupidis vestras aeternum dicere laudes.
 64 Sed memor unde abii, tu nobilitatis honores
 65 doctrina exornas varia : tibi splendida legum,
 66 et Ciceroneae superata scientia linguae,
 67 non ideo ut patrios turbares litibus agros,
 68 saevaque distractis agitates jurgia linguis ;
 69 sed vitam prius ipse tuam, moresque venustos
 70 justitiae ut norma regeres, legumque tenore
 71 ut punire malos, justos defendere posses.
 72 Hinc miratus ovat, seclusa in valle Tibiscus.
 73 Hinc mater doctrinarum saepe Itala tellus
 74 ingenio et bonitate tua, verbisque disertis
 75 obstupuit, tantumque tuis invidit honorem.
 76 Hoc Athesis Lycus et Rhodanus fecere Padusque,
 77 quando animos vultumque tuum videre, tibique
 78 laeta triumphali cecinerunt carmina plausu,
 79 et petiere suis caelesti munere multos
 80 concedi similes verae virtutis alumnos.
 81 Sed linguam qua voce tuam, variasque loquelas
 82 pro meritis celebrabo suis ? Te Gallia dives,
 83 Eridanique simul priscique Antenoris arces,
 84 promere nativo norunt sua verba lepore.
 85 Et velut Hyblaeisque favis, et nectare puro
 86 dulcior egregii narratur sermo fuisse
 87 Nestoris, Atridas blanda cum voce moneret :
 88 sic sacer imperii praeses, caput urbis et orbis,
 89 in te mellifluae dulcissima flumina linguae,
 90 quae cernit patriae gratam spectare salutem,
 91 diligit, atque tuae non parva negotia curae
 92 commendat, teque officiis et honoribus auget.
 93 Quid tibi Pierides memorem ? Quas carminis arte
 94 perpetuo tibi junxisti, versuque sonoro,
 95 saepius ut lepidas agerent ad plectra choreas
 96 fecisti juvenis florentibus integer annis.
 97 Hinc quoque perpetuo Musarum munere vives,
 98 nec nomen laudesque tuas annosa vetustas,
 99 ulla nec aetatum series, aut tempora laedent.
 100 Haec tibi caeruleas Varni labentis ad undas
 101 dictabam, dum tu tractanda negotia regum
 102 suscipis, et Christo carum defendis ovile.
 103 Sis felix, magnoque diu cum Caesare vive,

104 virtutemque ducem felix fortuna sequatur.

D. HENRICO BARONI STAREMBERGIO.

SILVA II.

S4_2 v.1 Si vacat, et castos non aversaris amores,
 2 hos etiam, generose Baro, lususque jocosque
 3 accipe laeto animo, ut mos est, vultuque sereno.
 4 O decus eximium generosae Caesaris aulae,
 5 o columen magni generis, stirpisque vetustae,
 6 Maecenasque meis dudum carissime Musis.
 7 Quartus enim, bene si memini, jam labitur annus,
 8 Caesaris augusti quando legatus in urbe
 9 Varniadum vero nos es dignatus honore.
 10 Cum mihi blandus hymen licitos properaret amores,
 11 sponderetque tori sociam, tum scilicet ultro,
 12 non humiles intrare casas, et tecta Chytraei
 13 es veritus : quin laetifico sponsalia vultu
 14 condecorasti, implens tenues fulgoribus aedes.
 15 Cetera quid memorem generosi signa favoris ?
 16 Quae mihi sunt fratrique imis infixae medullis,
 17 sollicitosque tenent animos, tibi solvere grates
 18 dum cupimus, lateque tuas diffundere laudes,
 19 in quibus et toti sumus, et debere fatemur,
 20 plura tibi meritisque tuis, quam dicere versu
 21 exiguo fas sit : magnarum pondere rerum
 22 sic premor, et fandi mecum vis victa laborat.
 23 Attamen et Charites vestrae nudique lepores
 24 aspicient nostras aequo si lumine Musas,
 25 tum facundus ero, et si quid mea carmina possunt
 26 te quoque nulla dies venturis eximet annis.
 27 Interea exigui non despice munus agelli,
 28 utque mihi, sponsaeque meae nova gloria praesens
 29 praecipuumque decus fueras ; sic nominis absens
 30 hic fulgore tui, tenues ornare libellos
 31 non pigeat, certeque honor es tu maximus illis ;
 32 Pieridesque simul sibi tanto a nomine nomen
 33 praesidiumque petunt, contra censoris iniqui
 34 murmura, perpetuoque rudis convicia turbae.
 35 Quod patiēre libens. Multos sic aurea conjunx
 36 Guntacorus tecum seros et Rudiger annos
 37 unanimi implebunt concordēs pectore fratres,
 38 olim etiam vestros donec celebremus amores,
 39 me parvum parva, at magnos vos magna decebunt.

NUPTIIS TILEMANNI STELLAE ET ANNAE HOFFMANIAE.

SILVA III.

S4_3 v.1 Fertilis et Rheni dextrae contermina ripae
 2 est regio, non magna quidem, sed divite gleba
 3 piscinisque potens, chalybisque armata fodinis,
 4 quin auro, argento, et cyprio quandoque metallo
 5 insignis, ni prisca loci vestigia fallunt.
 6 Hanc circum fortes fama est habitasse Sicambros,

7 Menapios, Ubios, Chattos, priscosque colonos
 8 Westphaliae. Urbs jacet hic aprico in colle Sigena
 9 nobilis, unde alta duo flumina despicit arce.
 10 Flumina quae socias illic conjungere lymphas
 11 incipiunt, subitura vagi mox brachia Rheni,
 12 Bonna Sugambrorum priscis ubi pervia campis
 13 adjacet. Urbs eadem turritis undique muris,
 14 circuituque super cincta est, despectus ab illo
 15 commodus in segetes, in jugera consita silvis,
 16 in pecora hic viridi passim ludentia prato.
 17 Quin te convertens redituri ad lumina Phoebi,
 18 Nassovii comitis turres et tecta videbis
 19 splendida, piscososque lacus, fontesque salubres.
 20 Purior hic aer, caeloque affinis, et aurae
 21 sidereae, egregios homines producit, et aptos
 22 moribus, ingenio, studiis, rebusque gerendis.
 23 Comprobat hoc praestans animi et laudabilis heros
 24 fortis Joannes, qui nunc Comes optimus arcem
 25 incolit, a Dilla praeterlabente vocatam,
 26 Uranii frater, magna cum laude volentis
 27 qui patriae sacra sceptrum tenet. Ludovicus id ipsum
 28 comprobat, Uranii qui fortia castra secutus
 29 bella gerit, Comes egregius, nullique secundus
 30 ingenio, fortique manu et praestantibus ausis.
 31 Tu quoque, magne Comes, summae et virtutis Adolphe
 32 nuper in hoc numero clarorum laude virorum
 33 non postremus eras, juvenem te Rhenus et Ellus
 34 in gremio fovere suo, cum rura Tribocum
 35 nobiscum incoleres, ubi Prusca e flumine spirat
 36 Castalios latices, et magnam dividit urbem.
 37 Mox hinc Leucoreum longe translatus ad Albim,
 38 Musarum studio sollertis acumine mentis
 39 deditus, egregios vicisti laude sodales,
 40 illustrisque scholae sublimia sceptrum tulisti,
 41 tantum erat ingenium, tanti virtutis amores.
 42 Sed nunc, proh dolor, ob patriam dum strenuus ultor,
 43 bella moves, hostesque necas victricibus armis,
 44 victor obis, longi vita dignissimus aevi.
 45 Te Phrisiae gemuere arces, Amasique querelas
 46 audiit Arctoo notissimus orbe Visurgis :
 47 abjecere lyras Musae, laurique virentis
 48 germina funereo permutavere cupresso ;
 49 mox laudes cantare tuas et facta paratae,
 50 post obitum ut celebris fama superstate vivas.
 51 Sis felix, placideque tua sub mole quiesce
 52 magne Comes, tibi quos annos mors abstulit, illos
 53 fratribus apponat, patriae qui jura tuentur,
 54 et tua vel sero numquam laus concidat aevo.
 55 Haec ego de patriae ducibus. Nunc clara Sigena
 56 quos celebres virtute tulit, mihi proxima cura est,
 57 enumerare tibi, quos inter dignus honore
 58 praecipuo Donnerus erit, quem Fuggarus olim
 59 custodem natis dederat, morumque magistrum,
 60 cum procul Hispani peterent gymnasia regni.
 61 Hinc ille eximius legum jurisque peritus
 62 in patriam rediit, fama innotuit aulae
 63 Caesareae, dignusque fuit, qui Caesare natos,
 64 Rodolphum, Ernestumque duces virtutis amore

65 imbueret, primisque animos formaret ab annis,
 66 Phillyrides alter, magnum praeceptor Achillem
 67 qui docuit pacis pariter bellique labores,
 68 verborum orator rerumque effector ut esset.
 69 Salve, magne senex, in te spes publica magni
 70 est posita imperii : sacrae tu Caesaris aulae
 71 restitues quandoque duces, qui sceptrum tenere
 72 utiliter, cunctosque queant frenare rebelles.
 73 Qui decus imperii, labentibus undique rebus,
 74 instaurent, finemque malis hoc tempore praestent.
 75 Nil melius sapiente animo rerumque perito
 76 principe, si patriae justo moderamine praesit,
 77 omnia tum rident laeto pulcherrima vultu.
 78 Dum tales, Donnere, tua virtute fideque
 79 instituis nobis : quis te non diligat unum ?
 80 Quis meritas umquam possit tibi solvere grates ?
 81 Olim tempus erit, senior cum sceptrum videbis
 82 tantorum juvenum, perpessorumque laborum
 83 aspicias fructum, toti qui proderit orbi.
 84 Urbs eadem tulit Arnoldum, qui consulis amplo
 85 fungitur officio, regina Colonia Rheni
 86 qua rapidas moderatur aquas, hoc nobilis aevo
 87 fortunaeque animique bonis : hoc Carolus olim
 88 hospite perpetuo, Rhenum cum viseret, utens,
 89 insignes illi titulos concessit, ut inter
 90 auratos equites magno praestaret honore.
 91 Quin eadem, Tilemanne, tuo memorabilis ortu
 92 clara Sigena alias inter caput extulit urbes,
 93 tu nova Stella micans istis gratissima terris,
 94 Hanno pater Stellae, placida sub mole quiesce,
 95 qui talem nobis natum post funera linquis,
 96 cui puero primas quando prodiret in auras,
 97 Uranie arrisit placido pulcherrima vultu,
 98 ingeniumque dedit, rebus caelestibus aptum,
 99 postmodo quod celebres magna cum laude fideque
 100 excoluere viri. Primis praeceptor ab annis
 101 Hammerus tibi Stella fuit, quem curia Lani
 102 suspicit eximium juris legumque patronum.
 103 Non hic Aemilius, non hic Sarcerius ille,
 104 Medlerusve silendus erit, quos Stella magistros,
 105 eximios habuit, formatoresque juventae.
 106 Nec mihi de clava Germanum nomen adeptus
 107 praetereundus erit, quo commendante Vilelmus
 108 Nassovius, pater Uranii, dare munera Stellae
 109 annua, Pierias Hassi cum viseret arces
 110 coepit, eumque suos inter numeravit alumnos.
 111 Non mihi Caesarius, quem magna Colonia fovit,
 112 non Lutherus erit, non maximus ille Melanchthon
 113 praetereundus, opes animi quibus ille magistris
 114 auxit et egregium verae virtutis amorem
 115 imbibit, ut doctos inter mox doctior ipse
 116 floreret, fieretque aliis jam notior oris,
 117 doctrinae eximiis non impar laude magistris.
 118 In primis tibi cura fuit, doctissime Stella,
 119 aethereas tentare domos, praenosceret caelum,
 120 sollerti studio et cura, numerisque rotundum
 121 percensere polum, et radio distinguere stellas,
 122 terrarumque plagas certis depingere signis.

123 Hoc tabulae librique docent, quibus optimus auctor
 124 regna Palaestinae veteris describis, et oras
 125 Aegypti, cunctasque plagas quas ostia Nili
 126 Jordanesque suo spatiosus flumine claudunt.
 127 Hoc docet exiguis Germania magna tabellis
 128 en subjecta oculis. Cunctas hic aspicias urbes,
 129 montesque fluviosque omnes, silvasque virentes,
 130 et fines patriae cunctis a partibus orbis.
 131 Cui mox adjunges, opus admirabile cunctis
 132 gentibus, et nullis umquam delebile saeculis,
 133 quo quidquid patrius celebrandum continet orbis,
 134 factaque majorum, nostraeque encomia gentis,
 135 et mores urbesque omnes, stirpesque vetustas
 136 complectere sagax. Musae tua coepta secudent,
 137 proroget annorum metam Deus ipse, tibi que
 138 adsit, ut impositam magno cum pondere molem
 139 sustineas velut alter Atlas, par viribus illi,
 140 fortis et ad laetum perducas omnia finem.
 141 Huic Camerariades, huic optimus ille Melanchthon
 142 te videre parem, quin perfecere monendo,
 143 et precibus crebris, ut praestantissime Stella
 144 susciperes onus hoc tantum, tantosque labores,
 145 in patriam pius, et seros quandoque nepotes.
 146 Quin patroni operis tanti, tua coepta benigna
 147 adjuvare manu : quos inter prima tenebat
 148 noster Joannes Albertus, sceptrum vetustae
 149 Vandaliae, Varnique tenens, tractusque marini,
 150 Baltica finitimos ubi tangunt aequora Danos.
 151 Hic ille est princeps nostro doctissimus aevo,
 152 plurima cui Phoebus, roseae cui plurima debent
 153 Pierides, quarum divino numine nomen
 154 perpetuum cum laude feret. Nam profuit ille
 155 omnibus Aonidum cultoribus. Optime princeps,
 156 vive diu, nostrasque etiam non despice Musas,
 157 in gremio quae magne tuo crevere, tuumque
 158 nunc quoque praesidium reliquo sibi tempore poscunt,
 159 aeternasque tibi sollemni carmine grates
 160 perpetuo dicent ; nec te Stella optimus olim
 161 negliget, historiam patriae cum scribet, avito
 162 stemmate deducens vestrae primordia gentis,
 163 virtutesque tuas merito decorabit honore,
 164 ut te nulla dies venturis eximat annis.
 165 Quid Comites nunc eximios, Mansfeldia fortis
 166 quos genuit, quid Stolbergi qui jura tuentur,
 167 quid Suartburgiacos celebrem ? Qui coepta secundis
 168 auspiciis tua juverunt, quibus inclitus ille
 169 Suendus, Uraniusque simul jungentur et Hassus,
 170 atque Bipontinus princeps. Quin arbiter ipse
 171 imperii, genitorque tuus, Maxaemyliane,
 172 propositum Stellae sacro diplomate juvat,
 173 munificaque manu tantos urgere labores
 174 promptus erat. Sic ille Ducum Regumque favore,
 175 omnia quae magno Germania continet orbe
 176 vidit, et egregiis descripsit cuncta tabellis ;
 177 incipiens primo partes lustrare marinas,
 178 hic ubi sub gelida floret Megalepolis Arcto,
 179 a Danis divisa mari, pelagoque Codano,
 180 cujus sceptrum tenent illustri sanguine creti

181 praestantes virtute duces, insignia quorum
 182 sunt Tauri caput, ornatum fulgente corona,
 183 et Gryphus quadrupedes, rostroque alisque decorus,
 184 fasciolisque ligata manus, gemmaque relucens
 185 annulus erecta, indicium virtutis avitae.
 186 Hinc ubi Cimbrorum Paeninsula cingitur undis
 187 Oceani, Holsatos vidit, ferroque tremendos
 188 Saxonas, et quotquot populos celer ille Visurgis
 189 Albis et includit. Quin Brocci culmina montis
 190 (Bructerus hoc illi quondam dedit accola nomen)
 191 obruta conscendit nivibus, silvamque Bacaenim
 192 praelongam latamque adiit, nec Marchia quidquam
 193 Misniaque, Phrisiaequae arces, aut rura Nemetum,
 194 Vangiones, aut Sala tenet, fortesque Triboci,
 195 quod non ille sagax solidum cognorit ad unguem.
 196 Quid tibi jam Viadri populos ? Moravosque Silesosque,
 197 Istricolos tibi quid Dacos, celebresque Bohemos
 198 Austriadasque canam ? Simili quos ille labore
 199 strenuus accedens, visu quae digna notavit.
 200 Non jam Westphaliam, Meliboci et culmina montis,
 201 non tibi Menapios, non fortes ense Sicambros,
 202 non Ubios, Batavos, Belgas, civesque Namurci,
 203 jam repeto. Quin et Morinos, tuaque oppida Trevir,
 204 Atrebatesque Athesinque libens, gentesque Mosellae,
 205 et Vogesi taceo scopulos, et flumina Nicri.
 206 Praetereo quoque Pleumosios, veteresque Cheruscos,
 207 quae tamen hic magno studio, summoque labore
 208 omnia lustravit, patriae communis in usum,
 209 ut prodiret opus quandoque insigne, suisque
 210 perfectum numeris, ex quo Germania nomen
 211 perpetuum referens, toto legeretur in orbe.
 212 Dum tamen a patria procul est, hic optima conjunx
 213 deserit hoc aevum, mortales deserit oras,
 214 absentis spes magna simul, magnique doloris
 215 causa viro, quando rediens sine compare lectum
 216 invenit, tristemque domum, natosque tenellos.
 217 Sic opus inceptum laetos contingere fines
 218 hactenus haud potuit. Pectus sine nube serenum
 219 Uranie poscit, studiis mens aegra negata est ;
 220 nunc ergo Hofmannus praestans pietate fideque,
 221 aetherei praeco verbi, tibi foedere natam
 222 legitimo jungit ; natam virtute, pudore,
 223 et forma eximiam, et vultu verbisque decoram.
 224 Quam lepor exornat, roseisque affusa labellis
 225 gratia, pura fides, in sponsum mutuus ardor.
 226 Haec tibi Stella fuget curas, et lampadis instar
 227 Phoebeae nubes abigens, te luce serena,
 228 impleat, ut coeptos possis absolvere cursus.
 229 Vivite concordes animae, nil gaudia turbet,
 230 labra columbatim jungite, pectora nodus
 231 vinciat Herculeus, nulloque solubilis aevo
 232 duret amor, caleantque una duo corpora mente,
 233 illa Sibyllinos superes tu Nestoris annos.
 234 Non jam progeniem sponsae, matremque patremque,
 235 non alios celebrare licet : verbosior aequo
 236 cum fuerim, semperque ultro brevis esse laborem.
 237 Officium tamen hoc alii commisimus. At tu
 238 consule nostra boni. Multo meliora fatemur

239 carmina sunt tibi scripta, meos superantia versus.
 240 Est tibi, sitque precor, multos Husanus in annos,
 241 nobile doctarum decus et tutela sororum,
 242 ingenium cujus celeri ferventius igne,
 243 flumine et uberior facundae gratia linguae,
 244 nos terret, timidosque procul post terga relinquit.
 245 Est Mylius tuus affinis, prudentia cujus
 246 Nestoreis par est meritis ; facundia certat
 247 cum Ciceroneis, multum miranda, libellis.
 248 Est quoque quem decorat Graiae sapientia linguae
 249 optimus arguto suavique Caselius ore.
 250 Cur igitur, veluti philomela attendit achantis ;
 251 sic ego non tantis auscultem sponte magistris ?

MELCHIORI FALISCIO ET ANNAE FLEHINGIAE, SPONSIS NOBILISS.

SILVA IV.

S4_4 v.1 Est regio ad Moeni ripas quam Tubarus amne,
 2 piscifero, junctusque rigat Radiantia Laso,
 3 atque eadem geminis circumdata saltibus ; unus
 4 vergit ad imbriferum Suevo conterminus Austrum,
 5 finitimus Turingo alter se extendit ad Arcton,
 6 terra ferax Bacchi et Cereris, celebrataque claris
 7 magnanima virtute viris. Quae natio Francos
 8 ignorat veteres ? Ista qui sede profecti
 9 indigenae, priscis, Mavortia corda, Latinis
 10 terrorem incussere olim. Nam fortibus armis,
 11 cum gentes passim opprimeret Romana securis ;
 12 incuteretque metum toti tot cladibus orbi :
 13 hi magnis invicti animis et robore, soli
 14 opposuere hosti, non fossas, flumina, muros,
 15 sed fortem intrepidamque manum, frontemque minaci
 16 terribilem aspectu, quo gens haec unica duro
 17 non subjecta jugo, sub libertate resedit.
 18 Propria magnanimis haec namque est gloria Francis
 19 ferre famem, tolerare aestum, contemnere frigus,
 20 in pactis servare fidem, sanctumque tueri
 21 foedus amicitiae, mentiri aut fallere numquam,
 22 posthabitaque bonam vita defendere famam.
 23 Artibus his Franci, Romano a milite tuti,
 24 duravere diu ; quin ista gente creati
 25 regia Sequanicas tenuerunt sceptrum per oras,
 26 Romanique illis magna cum laude coronam
 27 imposuere olim. Testis mihi Carolus ille
 28 Magnus erit, rex Francorum qui regibus ortus,
 29 intulit in patrios, fasces trabeamque penates :
 30 imperiumque illud multos feliciter annos
 31 obtinuit, meritis cumulans ingentibus orbem.
 32 Posteritas quoque non ista de laude recessit.
 33 Nunc etiam magnis Musarum et Martis alumnis
 34 Francica gens proavis certat ; quis carmina nescit
 35 Huttenique animos ? Quis scrutatoris Olympi,
 36 cui monte a Regis nomen fuit, aut Camerari
 37 doctrinam ignorat, toto quae nobilis orbe est ?
 38 Quis Francos jam non equites, et robora laudat,
 39 innatamque fidem, et priscae virtutis amorem ?

40 Quos inter jam dudum habuit memorabile nomen
41 Melchior (an Melior dicam ? Namque optimus ille est)
42 quem natum antiqua gens stirpe Faliscia laudat,
43 Patre Sigismundo ; dextra qui magnus et armis,
44 consilioque potens, et servantissimus aequi,
45 jure Palatinis ducibus clarissimus olim,
46 acceptusque fuit, quis saepe fideliter ille
47 consilio et monitis rebus prospexit in arctis.
48 Testis Otho Henricus, testis Fridericus, uterque
49 septemvir magni imperii, meritisque verendus,
50 illius eximias operas animumque virilem
51 experti, quando magna cum laude fideque
52 Praesidis officium, Boeris praefectus, obivit :
53 nunc magnus jacet exigua tumulatus in urna.
54 Hic pater est. Si quaeris avum ? Fuit ille Philippus ;
55 si proavum ? Fuit Henricus, qui praemia laudis
56 auratos torques meruerunt : forsitan idem
57 si cupis agnatos ; Fabiani nobile nomen
58 accipe, compluresque alios hac stirpe creatos,
59 in laudem et certos patriae communis in usus,
60 Saxonicaeque domus, quam saepe sagacibus illi
61 consiliis juvare olim, studioque fideli.
62 Tunc quoque Vangiones missi cum dicta Lutheri
63 audirent, (illuc namque ad comitia Caesar
64 venerat, ut motos de religione tumultus
65 comprimeret) tremeretque animo pars maxima victo :
66 hic illi praesto tibi, magne Luthere, fuerunt,
67 consilio, certaue fide et prudentibus ausis.
68 Quod tua scripta probant, probat optimus ille Melanchthon,
69 cui placuisse viro non laus extrema putanda est.
70 Salve o tantorum sanguis generose parentum,
71 salve sponse meis observandissime Muis
72 te puerum placido nascentem Juppiter ore,
73 et bona Calliope aspexit, tibi risit Apollo.
74 Te pater a primis virtutibus imbuit annis,
75 nobilibusque viris docuit discenda, virentem
76 praestanti ingenio, spectandum moribus aureis.
77 Scit bene Castalios qui spirat Elister odores,
78 scit Ligeris, Soma, cum Rhodano, scit Sequana mentem
79 doctrinamque tuam, quam tu es testatus ibidem
80 egregiis virtute viris. Scit nobile regnum,
81 Celtarum, quot tu linguas, quot noveris artes,
82 admirata suos peregrina in gente lepores.
83 Inde Nicri cum te reducem pulcherrimus amnis
84 vidit et obstupuit ; tibi magna palatia pandens
85 magnus Otho Henricus, magno te fovit amore,
86 virtutis propter cultum, ingeniique vigorem.
87 Legatum quoque Gallorum te misit ad arces,
88 saepe tuae mandans non parva negotia curae.
89 Virtutemque ducem, felix fortuna secuta est ;
90 nec te septemvir minimo Fridericus honore
91 nunc colit, et coluit quondam. Te namque magistrum
92 custodemque suo Casimiro legit, ut ex te
93 virtutem et dignam divino principe mentem
94 imbiberet, primisque tibi pareret ab annis,
95 sceptri haeres patrii. Sic olim Aeneia virtus
96 et gravitas juvenem dictis formavit amicis
97 Pallanta : egregio sic cretus Amyntore Phoenix.

98 In verbis factisque acrem, studiosus Achillem
 99 erudiit : cui non, vera virtute, secundus
 100 excellens Casimirus erit, quem Gallia nuper,
 101 fortis et intrepidus sumptis dum fulminat armis,
 102 mirata est juvenem, tacitoque in pectore sensit,
 103 quid patrius vigor, et virtus generosa magistri
 104 naturae et quantum excultrix doctrina valeret,
 105 laudavitque tuos, clarissime sponse, labores.
 106 Te pater ipse novo mox insignivit honore,
 107 jussit et Astraeae celebrem conscendere sedem,
 108 hic ubi spumifero florens contermina Rheno
 109 Spira, decus magni Imperii, non ense sed armis
 110 justitiae, legum norma et virtute tuetur.
 111 Sis felix, o perpetua dignissime vita
 112 Melchior, excellens animi, et tot dotibus aucte
 113 nobilis ingenii, doctrinae et stirpis avitae,
 114 perpetuoque meis multum celebrande camenis.
 115 Qua ratione etenim Musis indictus abires ?
 116 Quarum tu merito comites dignaris honore,
 117 quas reverenter amas, redamantes : hinc tibi texunt
 118 aeternum virides amaranti e flore coronas,
 119 ut te nulla dies venturis eximat annis.
 120 Sed neque Musarum sunt clarae indebita sponsae
 121 munera, quam pater excellens in stirpe Flehinga
 122 Luduicus, duplici Wolfgangus nomine sevit,
 123 nobilitatis honos Graeci labentis ad amnem,
 124 hic ubi vitiferos laudat Mencingia colles.
 125 Natus Udalrico Wolgango : hic virginis Annae
 126 est avus, insigni virtute et fortibus ausis
 127 cognitus Ambergae, senioris signa Philippi
 128 dum sequitur ; pater ipse etiam Ludovicus, eodem
 129 tempore qui pressam Charitino a principe Brettam
 130 devictrice manu asservit : quo scilicet ille
 131 corpore tum puer, at paulo post inclitus arte
 132 nutririi hic patria posset sub sede Melanchthon,
 133 natus in exigua, sed nomine maximus, urbe.
 134 Si matris genus observes, sponsaeque venustae
 135 majores, anus est illi generosus Obertus,
 136 arce Ravesburga, Golerorum sanguine cretus,
 137 qui fortes animis quondam et Mavortia bello
 138 fulmina, pro patria virtute et laude labores
 139 sustinere graves, hostem vel vincere pugna
 140 vel patriae excidium moriendo avertere sueti.
 141 Est Lotharingorum sedes Nancaea, sub ipsos
 142 Germani et Galli fines, hanc Carolus ille
 143 Burgundus quando hibernis male cingeret armis,
 144 illi tota domus Golerorum vindice dextra
 145 auxilium tulit, et rebus non liquit in arctis.
 146 Quo ruitis generosae animae ? Damnosior hoste
 147 proditor est, a quo turpi dux perditus ausu
 148 en cadit, armatis quem vos defendere dextris
 149 dum cupitis, Libycaque velut de rupe leones
 150 irruitis, metitisque acri quaeque obvia ferro ;
 151 (fraude perit virtus, non vi) succumbitis omnes.
 152 Non impune tamen, neque enim moriuntur inulti
 153 hostibus haud tergo, sed fronte et pectore noti
 154 magnanimo, juvenes Golerorum stirpe creati,
 155 quos velut una dies ad pugnam emiserat omnes ;

156 sic etiam una dies funesto perdidit ense.
 157 Attamen ut tantae superessent semina gentis,
 158 prospexit Deus ipse ; unus nam liber ab armis,
 159 addictusque sacris, ista de gente relictus
 160 sospes erat, quem tum Caesar Fridericus, amico
 161 ipse patrocinio amplectens, a praesule tandem
 162 obtinuit, mutata ut condicione priori
 163 legitimi posset consortem ducere lecti,
 164 extinctamque fere natis extollere gentem,
 165 mox iterum ut similis majorum laudibus illa
 166 floreret, possesque olim pulcherrima nasci
 167 tu quoque quae fieres lectissima sponsa mariti
 168 tam celebris. Nec spes illum generosa fefellit,
 169 multi etenim nati Golerorum e gente supersunt,
 170 egregii virtute viri, quibus illa priorem
 171 aequare et meritis poterit defendere famam.
 172 Hac tu stirpe satam laetus complectere sponsam
 173 Melchior, egregium Themidis decus, ardeat illa
 174 semper amore tui, quondam ut Panthea maritum
 175 Susis Abradaten, proprio plus corde solebat
 176 diligere, eximiumque sibi decus esse putabat,
 177 observare virum, verboque offendere nullo.
 178 Sit capitis nova sponsa tui pretiosa corona,
 179 morigeris animosque modis, et pectora dulci
 180 recreet alloquio. Cum te tua limina fessum
 181 excipient, teneri concurrant blanda puelli
 182 oscula praeripere, et tacita dulcedine tangant
 183 corda tibi. Quibus ut seram munire senectam,
 184 atque diu gaudere queas cum conjuge felix,
 185 me tibi jusserunt votis optare profusis
 186 Pierides ; monuitque ultro Cisnerus, amatus
 187 jam collega tibi, et noster bonitate patronus
 188 excellens, doctosque inter doctissimus ipse,
 189 cui cur quaeso negem, pro te modulata petenti
 190 carmina ? Cui multo plus debeo ; tantus amico
 191 candor inest animo, tanta est sub pectore virtus,
 192 sed nec plura licet. Felices ergo valetate,
 193 Melchior, et Cisnere, meas nec spernite Musas,
 194 justitiae, magni meritis, fideique patroni.

CUM ORDINIS PHILOSOPHICI DECANUS, AD FUNUS IO. BOGENTINI LUBECENSIS,
STUDIOSOS ADOLESCENTES CONVOCARET.

SILVA V.

S4_5 v.1 Si quis adhuc dubitas diri regnator Averni
 2 quod superet, quod bella gerat cum gente piorum,
 3 aspice terribiles casus, et tristia nostri
 4 fata Bogentini, quo vix praestantior alter
 5 integritate fuit, verae et pietatis amore.
 6 Ille Lubeca tibi non aspernandus alumnus
 7 ingenium studiis et honestis moribus ornans,
 8 ad vada spumiferi primo concessit Elistri,
 9 doctrinae intentus clarorum laude virorum.
 10 Hinc Varni rediens celebrem novus hospes in urbem,
 11 Musarum in castris meruit, carusque magistris
 12 discipulisque fuit, patri sed carior, unum

13 qui natum hunc in venturae spem stirpis alebat.
 14 Spem quae magna fuit, tanta illi industria, tantus
 15 aetheriae pietatis amor, purissima virtus,
 16 et placidos ornans generosa modestia mores.
 17 Quin etiam populos jam de pietate docere
 18 salvificaque fide, claris inceperat ausis.
 19 Non tulit hoc Sathanas, qui cum sua regna videret
 20 imminui, fortemque illum quandoque futurum
 21 cerneret heroem, qui relligionis honores
 22 asserere, et Christo adversos convincere posset.
 23 Non tulit hoc inquam Sathanas, sed callidus illi
 24 insidias juveni struxit, qua fraude doloque
 25 heu nimium tibi jam notum est studiosa juvenus.
 26 Non tamen imbutum vera pietate fideque
 27 debellare animum potuit, qui fortior atris
 28 restitit insidiis, et Christi funere nitens
 29 vulneribusque sacris, caeli jam regna subivit,
 30 purpureos inter proceres divosque locatus.
 31 Quid furiosa olim quid tu patiere juvenus ?
 32 Ebrietate tumens, et verni prodiga floris,
 33 cum maneant haec fata bonos : resipiscite tandem
 34 dum licet, et sanctae vigiles assuescite vitae.
 35 Horridus ille Leo rabioso circuit ore,
 36 intentus praedae et spoliis, nec parceret ulli,
 37 ni Deus injectis illum frenaret habenis.
 38 Hunc igitur pietas, sanctaeque modestia vitae,
 39 assiduaeque preces summa et vigilantia placet,
 40 ne similes forte in laqueos quandoque ruamus.
 41 Supremum quoque defuncto praestemus honorem,
 42 primae signa dabit quando sol aureus horae,
 43 afflictatae memores vitae, mortisque propinquae,
 44 quae quia vita brevis, numquam non proxima nobis
 45 esse potest, homini accelerans mundoque ruinam.

IN FUNERE JO. DURERI LUBECENSIS.

SILVA VI.

S4_6 v.1 Ergo iterum spes Aonii pulcherrima fontis
 2 flebilibus lugenda modis temploque scholisque
 3 occubuit ? Durere, jaces, doctissime, nec te
 4 vel triplicis potuit praeclara scientia linguae,
 5 vel pietas, virtusque animi, roburque juventae,
 6 incolumem servare tuis, nobisque ? Lubeca
 7 ingenii cultrix tanti laetissima quondam,
 8 interitu nunc maesta dole, tristesque querelas
 9 ingemina, similes illi sperare nepotes,
 10 vix ausura equidem, dum degenerare videmus
 11 omnia, barbariemque suos extendere fines.
 12 Quid querar infelix ? Nihil hic suspiria prosunt,
 13 non habet hic medicina locum, sic omnia fatis
 14 in pejus conversa ruunt, properantque ruinas.
 15 Quis, quaeso, sperare ausit ? Sophiamque sacrasque
 16 Aonidas, retinere suos hoc posse vigores
 17 tempore, quo juvenes Musarum castra secuti
 18 ingenium aut luxu perdunt, aut deside vita
 19 torpescunt, stultaque putant sese omnia scire,

20 inflati, doctique magis doctoribus ipsis :
 21 quo spretae sine honore jacent frigentque Camenae
 22 desertae, quo virtuti sua praemia desunt,
 23 auri sacra fames toto quo regnat in orbe.
 24 Praeterea quid Palladias magis impedit artes ?
 25 Quam summos quod laude viros, prodesse juventae
 26 qui multum poterant, mors ipso in flore peremptos
 27 evocat ; aut si quos tales quandoque relinquat ;
 28 illi subsidiis et Maecenatibus orbi,
 29 coguntur steriles inviti linquere Musas,
 30 lucrosasque sequi studiis majoribus artes.
 31 Sic Phoebi cultura jacet, Musaeque relictas
 32 exanimes paene, inculcant repetuntque querelas ;
 33 barbaries contra, Baccho praeunte, triumphum
 34 spirat, et ignavos secum trahit improba ventres,
 35 egregiis inimica viris. Non infimus inter
 36 quos Durerus erat, doctrina clarus et arte,
 37 cujus in exiguo regnabat maxima virtus
 38 corpore : qui juvenis seniores saepe docebat,
 39 tantum erat ingenium, tanti virtutis amores.
 40 Nunc tamen ille jacet, diuturna tabe peremptus,
 41 spes tanti sublata viri est mortalibus oris,
 42 et superis illata plagis, sedique beatae.
 43 Plangite Durerum, quotquot novistis ademptum
 44 devoti studiis juvenes, et funeris hora,
 45 illius exsequias vestro decorate favore,
 46 hic extremus honos tanto debetur amico.

STELLA AUREA.

SILVA VII.

S4_7 v.1 En nova cur mundi facies ? Cur aurea caelo
 2 clarius astra micant ? Rara quid luce venustae
 3 Nereides ducunt hilares ad plectra choreas ?
 4 Quid Varnus pater accumbens in margine ripae
 5 carmina laeta canit : Rhodia quid totus in urbe
 6 Pieridum chorus, insolito ferit aethera cantu ?
 7 Quid rosa tam pulchre fragrantem spirat odorem ?
 8 Fallor an exspectata diu Stella aurea tandem
 9 progreditur, roseae succedens moenibus urbis,
 10 cujus ab exortu bonitas, sapientia, candor,
 11 et radios doctrina suos, fulgentior astris
 12 exserit, et totam replet splendoribus urbem.
 13 O lux ambrosiis exoptatissima Musis :
 14 hinc sacri se fontis honos, hinc gloria vatam
 15 tollit, et erectum celsis caput inserit astris.
 16 Haec, modo si vatam praesagia vera putantur,
 17 ipse comes Musis vates mihi dixit Apollo.
 18 Nam soror Aonidum tenebris aurora fugatis,
 19 vix hodie primos extollere coeperat ortus,
 20 cum Varni ad ripas viridi prostratus in herba,
 21 caelestis patriae miro percussus amore,
 22 aetherias lustrare plagas et sidera coepi.
 23 Aurea luciferi Venus effulgebat in ortu,
 24 mane capistratis caelo subvecta columbis,
 25 cui prope siderei radians sub corde Leonis,

26 regia stella aderat, venturo praevia soli :
 27 Juppiter hinc paulum Saturno a patre recedens
 28 Herculei prima sub parte Leonis agebat.
 29 Posthac Pleiadibus monstrans sua spicula Mavors,
 30 sub se gemmiferum spectabat Orionis ense,
 31 aestivos qui torret agros hunc Sirius ardens
 32 suspicit, Oleniae pluvialia signa capellae
 33 fulgebant medio, sublimis vertice caeli.
 34 Pone sequebantur septem vicina Trioni
 35 sidera, caeruleos non ingredientia fluctus.
 36 Haec ego sublato, gavisus, in aethera vultu
 37 aurea templa videns ; magni te conditor orbis
 38 alloquor, effundoque preces : pulcherrime rerum
 39 Christe decus caeli, vatum qui verus Apollo es,
 40 tu radiis et luce tua, quibus ardua mundi
 41 machina completur, nostris de mentibus atras
 42 pelle procul tenebras, et puri numinis ignes
 43 insere, terrenis quo mens mea libera curis,
 44 aetherias penetrare domos et sidera possit.
 45 Hinc tua quo variis spargantur lumina terris,
 46 perpetuisque sacrae maneant in honoribus artes,
 47 reddita vicinis iterum pax aurea regnis
 48 exsultet, bellumque tuos vertatur in hostes.
 49 Dum loquor, auratum vitreis caput extulit undis
 50 Phoebus, et ad nostros referens sua lumina vultus,
 51 talibus incoepit. "Juvenis gratissime Musis,
 52 quod caelo stellisque vacas, et saepius illas
 53 aspicias, assiduisque gemens, petis aethera votis ;
 54 ipse preces studiumque tuum probo, laetus et illud
 55 exitus, optata dudum cum pace, sequetur.
 56 Nam quas sanguineus turbas, quae proelia Mavors
 57 excitat, auxilio Veneris, nostroque retundet
 58 Juppiter, hinc patriis reddantur ut otia terris.
 59 Atque ideo faculis e caelo illustribus ardens
 60 aurea stella oritur vicinae moenibus urbis,
 61 aspectu cujus populi et fulgore sereno,
 62 mmentis et aetheriae radiis et luce subacti,
 63 submittent animos, et pax optata redibit."
 64 O igitur felix tam pulchri sideris ortus !
 65 O multis optata dies ! Salve aurea stella,
 66 salve iterum, non tu pingues ut Sirius agros
 67 exures, non sanguineo, ut Mars, imbre rigabis.
 68 Te duce grata scholis, templo, patriaeque locisque
 69 omnibus alma quies, patulis plaudentibus alis,
 70 justitia comitante, aderit. Sic optima rerum
 71 libertas, gratum cunctis et amabile nomen,
 72 cum populis terras, caelo delapsa, reviset.
 73 Vos quoque Pierides, regum quae facta per orbem
 74 spargitis, et memori transmittis omnia famae,
 75 otia certa manent, et meta optata laborum.
 76 O vos felices, omnique ex parte beatos,
 77 aurea stella quibus coram spectanda refulget !
 78 Christe, dator pacis, fons luminis, auctor amoris,
 79 da, precor, ut multos haec aurea stella per annos
 80 fulgeat, et patriae pacis sacra munera genti
 81 conservet, terramque novis splendoribus ornet.
 82 Post et in aetheria multo fulgentior arce,
 83 par radiis Venus alma tuis, par lumine Phoebos,

84 emicet, aeterno numquam delebilis aevo.

ENCOMIUM GRAMMATICES.

SILVA VIII.

S4_8 v.1 Et jam tempus adest, prima quo grandis Orion
 2 nocte pedes caelum ingreditur, magnoque labore
 3 sidera conscendens, alto supereminet ore :
 4 Phoebus et adversa caeli regione morantes
 5 sistit equos, noctisque umbras producit opacae ;
 6 lucis et angustas cunctando contrahit horas.
 7 Scilicet acris hiems, tremulo venit aspera gressu,
 8 nixa pedo, canosque fere spoliata capillos,
 9 squalida concutitur. Plena nivis undique veste
 10 stiria dependens, villis impexa cohaeret,
 11 quacumque ingreditur, gelidos nive conserit agros,
 12 ejus et afflatu, pallantes arbore frondes
 13 et folia alta cadunt ; canis aspersa pruinis,
 14 aut nive tecta latent immenso gramina campo.
 15 Quin etiam densae currenti in flumine crustae
 16 jam coeunt, navesque prius quod adire solebant,
 17 nunc pedibus mare pandit iter : sata Caurus adurit
 18 frigore, et in glaciem convertit stagna rigentem.
 19 Quam subito, heu, menses alisque fugacibus anni
 20 aufugiunt ! Ah quam pulchras male perdimus horas !
 21 Quam subito subrepat iners et inutilis aetas !
 22 Vere novo, campi, frondes, et prata virebant,
 23 mox etiam gravidis tellus canebat aristis,
 24 ipsaque lux blanda ridebat amabilis aura,
 25 sed brevis hic vigor est, et parvo tempore durat.
 26 Nunc ea diffugere procul. Non arbore frondes,
 27 non herbae campo apparent, non gramina pratis.
 28 Quodcumque aspicias nix est, et frigus acerbum.
 29 Non aliter miserae mortalis tempora vitae
 30 finit homo : puer ore viget, mentisque sagacis
 31 ingenio, bene corpus habet, membra omnia florent.
 32 Ast subito flos ille perit, non floribus impar
 33 quos prius insignes, subiti vis effera venti
 34 dejecit arentes, nec lapso redditur umquam
 35 quod periit. Nonne et pueros, juvenesque virosque
 36 cursibus a tergo insequitur miseranda senectus ?
 37 Atque inopina manus homini, sperataque nondum
 38 injicit, absumitque animi cum corpore vires ?
 39 Paulatim lenta donec mors omnia falce
 40 demetat, et finem rebus mortalibus addat.
 41 O laevas juvenum mentes ! Quam talia paucos
 42 dicta movent ! Quam parva cohors florentibus annis
 43 utitur ut par est, accedentique senectae
 44 sternit iter prudens, serisque viatica canis
 45 praeparat, in studiis et prima aetate laborat.
 46 Sunt quos luxus iners, pronoque ignavia vultu
 47 detineat, sunt quos Veneris vaesana voluptas
 48 non sinat optatos virtutis scandere colles.
 49 Vina alios, tumido ronchosque educere naso
 50 post calices, nimioque juvat turgescere somno.
 51 Hos sapere ante diem, rudimentaue spernere prima (vers corrigé)

52 et subito celsas Heliconis tendere ad arces
 53 praecipitat, nimiumque ausos, per saxa volutat
 54 ardua. Sic Phaethon dum concipit aethera mente,
 55 infima contemnens fluvio perit ; Icarus alis
 56 non bene compactis dum celsior ire parente
 57 nititur aequoreis misere submergitur undis.
 58 Ergo mihi tenerae cum sit formanda juventae
 59 vox rudis, et Latiae praecepta salubria linguae
 60 spreta quidem, vigili tamen enarrare labore
 61 incipiam : prius invisae praeconia dicam
 62 grammaticae ; puerosque omnes juvenesque monebo,
 63 quae bona, quos fructus, et quae mortalibus ars haec
 64 dona ferat, quantis et sit sudoribus illi
 65 discenda, ex studiis optatos carpere fructus
 66 qui velit, et docti cognomine dignus haberi.
 67 Ut pauci, quos laudis amor, generosaque virtus
 68 excitat, egregia cum fruge vigentibus annis
 69 utantur, primaeque artis fundamine jacto,
 70 paulatim celsas doctrinae educere turres
 71 incipiant, vitaeque decus commune tueri.
 72 Si placet his mecum studiis operata juvenus
 73 percipe sollerti placide quae dicimus aure,
 74 utque soles, eadem sublimi mente reconde.
 75 Musarum, Phoebique decus, fidissima doctrix
 76 grammatica, unde tuas praesenti carmine laudes
 77 ordiar ? Et dignis tua pandam munera verbis ?
 78 Tu, licet a tenui tua surgat origine virtus,
 79 pingere dum primasque notas et grammata jungi
 80 legitima ratione jubes ; tamen inde parentem
 81 te reliquae, matremque artes venerantur, et alte
 82 extollunt : tibi praeclara puer indole florens
 83 nutrici veluti, primo committitur aevo,
 84 lactea crescenti tu praebens ubera nato,
 85 pascis et ad frugem tenerum perducis alumnum.
 86 Felicem cuicumque datum est his tempore justo
 87 uberibusque et lacte frui : non Cynthus illi
 88 Castalios haustus et pocula sacra negabit,
 89 non illum Aonides Parnassi a culmine montis
 90 arcebunt umquam : doctis sed mixtus ibidem
 91 Virginibus, ducet lepidas ad plectra choreas,
 92 gaudiaque et plausus Muis praeaeuntibus edet.
 93 At quicumque hujus non justo tempore matris
 94 ubere nutritus, reliquas contendit ad artes,
 95 ut spurius dubio natus genitore, repulsam
 96 mox patitur, turpemque refert cum clade pudorem.
 97 Indignumque putant talem castissima Musae
 98 numina, qui sacros Phoebo conscendere colles,
 99 cultor Apollinae dici vel debeat artis.
 100 Sic avis angustum nidum tenebrasque perosa,
 101 ante diem inplumis vasto se credere caelo,
 102 cum matre invita coepit : trepidantibus alis
 103 luctatur, dubias et vincere nititur auras ;
 104 viribus ast vento inferior, movet aere pennas
 105 incassum, sentitque feri mox vulturis ungues,
 106 flet ramo miseranda parens, maestisque querelas
 107 integrat, et multis late loca questibus implet.
 108 Hic igitur durate animis, et pectore firmo,
 109 o pueri, ventura quibus laus famaue curae est.

110 Hinc decus, hinc verae laudis dependet origo.
 111 Nec prius ad reliquas studiis audacibus artes,
 112 tendite fundamenta prius nisi rite locata,
 113 impositae sufferre queant bene pondera molis.
 114 Sic faber aedificare domos, aut principis arcem
 115 si velit, ante alios bene fundamenta labores
 116 collocat, et nitens ingentia saxa reponit,
 117 arte cavernosos condensans fornicis arcus.
 118 His positis bene, cemento gypsoque columnas
 119 erigit, auratasque trabes longo ordine tendit,
 120 regali surgunt aedes ad sidera luxu,
 121 jurgia nec Boreae tempestatesque morantur.
 122 Si male sit fundata domus, labefacta repente
 123 corruit, horrendumque edit concussa fragorem.
 124 Non aliter studiosa cohors fundamina recte,
 125 cum posuit, cupidisque labris sacra ubera suxit
 126 grammaticae : si deinde alias accedat ad artes,
 127 sive ea de falso verum discernere, sive
 128 et sapere et culta jubeat bene dicere lingua,
 129 aut etiam, quae sit rebus natura creatis,
 130 doctrinamve sacram aut juris mysteria pandat.
 131 Quicquid id est, bene grammatica fundatus in arte
 132 rectius, et facili perdiscere cuncta labore
 133 doctrinaeque potest celsos evadere colles.
 134 Haec illa est, quae sicut Atlas sustentat Olympi
 135 pondera, sic humeris reliquas bene sustinet artes.
 136 Ast alii qui non primis constanter ab annis
 137 hac doctrice loqui fido didicere labore,
 138 juraque verborum ignorant, normamque loquendi,
 139 postmodo vel Sophiae sacrive volumina Juris
 140 aggressi, ut caeci ignota regione vagantur,
 141 proficiuntque nihil, studio licet omnia tentent.
 142 Non aliter tenues captet quis retibus auras,
 143 semina litoreis mandet vel stultus arenis.
 144 Hinc alii minimas mox regrediuntur ad artes,
 145 pigri alii, spretos nolunt perferre labores,
 146 seque libidinibus dedunt ventrique voraci ;
 147 desperant alii, tenuis quibus aere crumena est,
 148 proque libris clypeos, et acutae cuspidis ensem,
 149 pro calamis hastam arripiunt et bella sequuntur.
 150 Posthabitis alius, lucrosa negotia, Muis
 151 tractat, et immitti vento se credit et undis.
 152 Quaerit opes alius nullo sudore paratas,
 153 et puer alludit vetulae, cui nummus in arca
 154 tinnit, inescatas operitque numismate rugas,
 155 illius imperium, saevasque uxorius iras
 156 sentit, et in duro secum convicia lecto
 157 multa ferens, curis tacite luctuque senescit.
 158 Commentis alius sine mentis acumine fretus,
 159 et compilatis sine rerum pondere verbis,
 160 et tantum sapiens alieno ex ore, misellus
 161 rus abit, et caecos inter rex luscus, ad aras
 162 et cathedram properat, nudas disperdere voces
 163 callidus, immodicusque tamen, fastuque tumescens,
 164 de rebus sibi propositis aliena profatur,
 165 et sibi de cunctis recte dixisse videtur.
 166 Usque adeo admissam scelerata inscitia culpam
 167 abnegat, et Sophiae latitans sub imagine fallit.

168 Idem, pigritiae assuetis quia ferre labores
 169 haud facile est, Baccho indulgent, et pocula vertunt
 170 pro libris scriptisque sacris ; aut otia segnes
 171 semper agunt, miseram foedant contagia plebem,
 172 unde offensa graves perfert Ecclesia luctus.
 173 Haec damna, hae clades neglectam saepe sequuntur
 174 grammaticen, teneris quam si neglexeris annis,
 175 sermonisque modos nullo cognoveris usu,
 176 postmodo nec sacris quae sunt conscripta libellis
 177 percipere, aut alios poteris cum laude docere ;
 178 verba notae rerum cum sint, resque explicet ipsas
 179 sermo trahens imo deductos pectore sensus.
 180 Qui si forte rudis fuerit, raucoque boatu
 181 dissonus, aut stupido tibi si sordescat in ore
 182 languidus, ipse alios quam ratione movere,
 183 pandere vel summi poteris mysteria Christi,
 184 fontibus ex ipsis ? An non aetate parentum
 185 relligio, et sincera fides, praeunte revixit
 186 grammatica ? Quae si voces variasque figuras
 187 perspicue proprieque aperit, res ipsa necesse est
 188 clarius ut pateat, quam si dictamine chartas
 189 commaculans, rivos neglecto fonte sequaris.
 190 At nunc pro dolor haec juvenum vesania mentes
 191 exagitat. Subito illotis manibusque labrisque
 192 artibus involitant summis, puerile putantes,
 193 atque animi rudioris opus stupidique morari
 194 grammaticae in studio, donec via certa loquendi
 195 cognita sit, subito alta petunt, nihil ima morantur.
 196 Hinc veterum monumenta jacent contempta, nec illis
 197 justus habetur honos : divina poemata vatum,
 198 aut si quis Latiae praecepta salubria linguae
 199 ignaris fido velit enarrare labore ;
 200 parietibus vacuis, et surdis carmina scamnis
 201 praecinit, incassumque fere frustra laborat.
 202 Usque adeo Ausonia restincta est gloria linguae.
 203 Ne tamen hoc ne quis tacitus miretur, et artem
 204 propterea spernat. Semper pulcherrima paucis
 205 cognita sunt : nihil est multis commune, quod una
 206 praeclarum esse queat : tractant vulgaria multi.
 207 Hinc alios inconcinnis quamplurima verbis
 208 disserere audimus de relligione, pioque
 209 virtutum studio, et verbis audacibus ultro
 210 iudicium grave de magnis sibi sumere rebus,
 211 liberius multo senibus, qui temporis usu
 212 sint licet edocti ; studio tamen omnia pensant
 213 pervigili, precibusque piis in vota vocantes
 214 saepe Deum, cautis decernunt singula verbis.
 215 Illi autem subito edocti, pulchre omnia norunt,
 216 et quia grammaticae ignari, quaecumque loquuntur
 217 vera putant, nullosque olim timere magistros,
 218 qui moderari animos, et mites reddere possent :
 219 indomiti temere insurgunt, et dogmata foede
 220 corrumpunt, rixasque movent ; et cedere rectis
 221 dum sibi turpe putant monitis, pax aurea mundum
 222 deserit, et lites de lana saepe caprina
 223 exortae, invadunt totas cum gentibus urbes.
 224 Usque adeo a teneris placidis assuescere pulchrum est
 225 moribus, et primas perdiscere gnaviter artes.

226 Quid tibi cunctarum propriissima nomina rerum
 227 commemorem ? Qua primus Adam praeclarus in arte
 228 ingenii specimen magni dedit, ipse creatis
 229 nomina cum rebus, tacitas pingentia vires
 230 attribuit, summo mundi spectante Monarcha.
 231 Nunc ea vis ignota fere toto exulat orbe,
 232 quicquid adhuc superest ista de parte peritus
 233 grammaticus sibi deberi cum laude fatetur.
 234 Ille rei vires tacite, velut alter Adamus
 235 aspicit, et cunctis concinna vocabula rebus
 236 attribuit, propriisque notis quaeque obvia signat.
 237 Ille herbas, frutices, arbusta, legumina, fruges,
 238 ille domus partes, ille instrumenta periti
 239 artificis, volucresque ipsas, et in aequore pisces ;
 240 denique doctiloquo pulchre omnia denotat ore,
 241 muto alii similes, nec se nec cetera norunt.
 242 Illum igitur reliquas Sophiae quoque discere partes,
 243 grammatici titulo cupiat qui dignus haberi,
 244 est opus, ut pariter res et data nomina rebus
 245 noverit, et facili queat explanare labore.
 246 Adde quod ars eadem, quo quaevis littera ductu
 247 quotque quibusve notis, et dictio quaelibet apte
 248 conscribi, et docto proferri debeat ore,
 249 edocet, et vocum pulchre mysteria pandit.
 250 Quae contra, dii quam multos delinquere cernas.
 251 Barbaries innata quibus simul ore manuque
 252 exerit ignavo turpes sub pectore sensus.
 253 Ille notis illegitimis, hic ordine falso
 254 utitur, et certis distinguere singula membris
 255 dum nescit, parit errores, et labitur ipse,
 256 omnia confundens taetra et caligine mergens.
 257 Lingua alius peccat, dum producenda subinde
 258 corripit, aut rursus quae corripienda, morari
 259 ore sinit, raucaque aures stribiligine laedens,
 260 excitat ingratis risus aut taedia verbis.
 261 Et quoniam teneris puerilia spreuit ab annis
 262 grammaticae praecepta, senex ludibria rursus
 263 cogitur et merito pueriles ferre cachinnos,
 264 cum male vel pingit, vel non dicenda profatur.
 265 Quid quod ab hac etiam divina poetica manat,
 266 multiplices quae cum numeros hinc discit, ut apte
 267 quo quaevis correpta loco, qua parte moretur
 268 syllaba scire queat, Sophiaeque in pulvere sudat
 269 gnaviter, Aonidum segni mox plebe relicta
 270 culmen adit, laudesque Dei, praeclaraque facta
 271 heroum canit, et verbis ad sidera surgit.
 272 Salve igitur dilecta parens, doctissima salve
 273 grammaticae : tu carminibus divina poesis
 274 quae canit, una potes praestantis acumine mentis
 275 percipere, atque aliis fido enarrare labore.
 276 Te sine Cimmeriis sunt omnia plena tenebris,
 277 nullius et studium cum laude absolvitur artis.
 278 Derogo nil aliis, meriti tu pondere multum
 279 praecedis reliquas, cum te sine, nulla manere
 280 incolumis, nomenque suum laudesque tueri
 281 possit, et egregiis sua pandere munera verbis.
 282 Principe te quondam certis sacra biblia signis
 283 edita jam totum sunt divulgata per orbem

284 quodque senes juvenesque sacros evolvere libros,
 285 et possunt summi mentem penetrare parentis,
 286 munus id omne tuum. Tu prima elementa legentem
 287 grata ministra doces. Et ne sacra scripta deinceps
 288 intereant, tu sola facis, memorique reponis
 289 indice, qui custos nullo delebilis aevo,
 290 tam paucis signata notis, paucisque figuris
 291 omnia conservat sero spectanda nepoti.
 292 Tu quod habet scriptas felix Respublica leges,
 293 quod populi frenare animos, punire nocentes,
 294 et decreta potest subjectis mittere terris
 295 Caesar, et absentes quae sint facienda monere,
 296 tu facis, inventumque tuum, quo pectoris imi
 297 consilia, et motus tenui depingere charta
 298 possumus, atque oculis animi proponere sensus.
 299 Denique quicquid id est, miserae quod commoda vitae
 300 auget, et illius decus ornatumque tuetur,
 301 praecipue tibi nos grati debere fatemur,
 302 te sine nulla fides, commercia nulla, nec ulli
 303 contractus aut pacta forent : jus omne periret
 304 officiumque fori dubias obliviam mentes,
 305 Barbariesque omnem foede perverteret orbem.
 306 Sed mea forte aliquis vero non consona dicet
 307 carmina, cum referam dare munera tanta per orbem
 308 grammaticen ; videatque illam non cultibus ullis
 309 ornatam, vilique toga, tritaque lacerna
 310 contemptam spretamque uti : cum splendida vestis
 311 hanc deceat, reliquas artes prae divite cultu
 312 fulgentes, haec cum genitrix eduxerit olim.
 313 Praeterea reliquis addictos artibus, amplis
 314 divitiis opibusque frui plerumque videmus :
 315 ferre Galenus opes, fulvum dare Bartolus aurum
 316 dicitur, et sacra non adeo jejuna cathedra est.
 317 Grammaticus macer et pallens, vixque ossibus haerens,
 318 vestibus indutus laceris, vacuaque crumena
 319 incedit miser, et nulli miserabilis. Illum
 320 cum pueris ipsi oderunt persaepe parentes,
 321 vixque sua, murem quo pascit, possidet aede.
 322 Insuper Ausonii referunt ut carmina vatis,
 323 felix Grammaticus non est, sed nec fuit umquam
 324 nec fiet ; vel si felix cupit esse, relinquat
 325 grammaticam sterilem, lucrosaeque involet arti.
 326 Sunt ea vera nimis fateor, nec gratia digna
 327 pro meritis umquam contemptae redditur arti.
 328 Saepius illa ducum celsas evexit ad arces
 329 discipulum, gemmisque illum decoravit et auro ;
 330 ad summos alium placide perduxit honores,
 331 qui tamen immemores doctae non praemia matri
 332 retribuere umquam. Sacris hoc tempore Musis
 333 talis habetur honos, ipsorum ut semper alumnos
 334 non magnae comitentur opes. Non attamen omnes
 335 anxia paupertas duro quos pondere pressos
 336 detinet, in ludo pueris dum grammata tradunt ;
 337 grammaticen culpae velim, sterilemque cathedram,
 338 sunt meriti quos culpa sui, sunt improba vita
 339 quos premit, et duro cruciatos verbere caedit.
 340 Illi cum teneros ignave et turpiter annos
 341 finierint, non immeritas pro crimine poenas

342 desidiae luxusque ferunt, nullosque labores
 343 in studiis quicumque tulit, nec fructibus ille
 344 dignus erit, meritoque suo miser est et habetur,
 345 non ea grammaticae, quam nescit, culpa vocanda est.
 346 Sed neque Grammatici praeclaro nomine dignos
 347 illos esse puto, vitae qui tempus et annos,
 348 rebus inutilibus, nugisque et murmure vano
 349 traducunt, veterum dum clara poemata vatum
 350 evolvunt, nervosque rei viresque latentes
 351 praetereunt, veluti Latios cum classe relicta
 352 Aeneas tetigisset agros, prior anne sinistro
 353 an dextro, vel utroque simul pede, littore curvo
 354 constiterit. Siculis vel cum discederet oris
 355 quot quantosque cados illi donarit Acestes,
 356 aut prius instructis dederit quae fercula mensis.
 357 Sunt ea vana nimis, laudesque et nomina vatum
 358 qui graviora docent, atque utiliora juventam
 359 imminuunt doctis et sunt indigna magistris.
 360 Nec mihi Grammatici sit nomine dignus habendus,
 361 qui studio, exemplisque suis vitaque decenti
 362 cum nequeat formare animos moresque juventae,
 363 ipse rudis, jussisque suis contrarius ipse ;
 364 mox sine iudicio, levia ob commissa, furorem
 365 induit, et taetros veluti saeviret in hostes
 366 ingenuos flagris pueros et verbere cogit
 367 dura pati, quibus ipse tamen virtutibus impar,
 368 aut raro est melior. Studiorum in limine primo
 369 hinc puer imprudens, tantae et dulcedinis expertus
 370 deficit, egregiumque animo nihil amplius audet,
 371 Aonidesque ipsae flentes aegraeque recedunt,
 372 dum turbam invalidam, tetrico implacabilis ore,
 373 ille ferox terret, saevisque immanior ursis,
 374 imperio invisio gaudet, foedoque labore.
 375 Hoc tamen ingenuos pueros ego carmine laudo,
 376 qui monitis animos ultro submittere gaudent,
 377 non alios asinis similes, procedere numquam
 378 quos videas, nisi verberibus protrudat agaso
 379 cessantes, semperque flagris et fustibus instet.
 380 Et sine iudicio plagosum culpo magistrum,
 381 non alium, pueris qui poenas irroget aequas,
 382 et cupiat potius virtutem propter amari,
 383 quam metui, tantumque flagris sua regna tueri.
 384 Si quis in hoc numero fati cruciatur acerbis,
 385 non artem incuset, propriae sed crimina vitae.
 386 Grammaticam si quis discat juvenilibus annis
 387 gnaviter, et placide mediocres ferre labores
 388 non fugiat (si non cupide nimis alta sequatur,
 389 sed media possit contentus degere sorte)
 390 quod satis est, simul et vitae quas postulat usus
 391 semper habebit opes, animo quibus ille quieto
 392 sedatoque bonis poterit praesentibus uti,
 393 fructum percipiens dulcem radicis amarae.
 394 Crescentes comitatur opes metus, et labor ingens,
 395 majorumque fames : poscenti multa, necesse est
 396 multa deesse etiam ; felix cui numina parca
 397 quod satis est tribuere manu, mentemque quietam.
 398 Magna tenet, quem parva juvant. Petit alter honores,
 399 divitias alii praedasque sequuntur, et amplas

400 inter opes inopes, placidi non munere somni
 401 utuntur, metuuntque manus et spicula furum,
 402 inventisque timent opibus frugaliter uti.
 403 Conscendunt alii magnorum limina regum,
 404 quos rota fortunae celeri vertigine raptos
 405 evehit, et summo sublatos vertice sistit.
 406 Cumque putant manibus regum se corda tenere,
 407 sortis et immemores, cristas et cornua sumunt :
 408 instabilis rota fortunae mox rursus eosdem
 409 dejicit, ut damno derisi dedecus addant.
 410 Perpetuos ita dum metuunt sublimia casus,
 411 grammaticus parvis dives cum compare rebus,
 412 liber ab invidia vivit, placidamque quietem
 413 laetus agit, tenuique parum quia possidet arca,
 414 non timet insidias ; atque ima sede locatus
 415 murmura non venti tempestatesque moratur,
 416 sorteque contentus propria nihil amplius optat.
 417 Illum admirantur pueri, quibus imperat, illum
 418 observant, regnoque suo felicior ipsis
 419 regibus esse, pedum gestans sublime, videtur.
 420 Sic breve tempus ea de re me dicere plura
 421 non sinit, et pulchram per se rem tollere verbis
 422 non decet. Ergo tibi si res est publica curae,
 423 o puer, aut lacero plorans Ecclesia vultu
 424 te movet, aut Sophiae quidquam suspiria possunt,
 425 invigila studiis, et florecentibus annis,
 426 dum vacat, ingeniique valent cum corporis vires,
 427 ubere grammatices et puro pascere lacte.
 428 Nec pudeat mentem parvis intendere rebus,
 429 quis sine magna suo nequeunt constare vigore.
 430 Dimidium, bene qui coepit, totius habere
 431 dicitur : hic animis opus est, hic robore firmo,
 432 ut bene coepta bono claudantur singula fine.
 433 Sed tu, Christe potens, cujus sine numine nemo
 434 vivere, nemo potest coeptos finire labores
 435 utiliter, praesens nostris in mentibus adsis,
 436 ut tibi grata, tuas tantum spectantia laudes
 437 discamus, factisque ipsis vitaque probemus,
 438 et tandem supera tecum laetamur in arce.
 439 Nunc quoque finitimas spectant ubi Balthica gentes
 440 littora, dum vario grassantur bella tumultu,
 441 armorumque sonus doctarum plectra Sororum
 442 impedit, et Phoebum paene obmutescere cogit,
 443 multa quoque horrendas clades dum signa minantur,
 444 jam strepitus caeli longe, jam murmur Olympo
 445 misceri audimus : venti nova proelia tentant,
 446 atque insueta prius ; jam serpunt undique dirae
 447 morborum pestes, de relligione tumultus
 448 impia gens, odiis et plena cupidine regni
 449 excitat, unde graves perfert Ecclesia luctus ;
 450 undique bella sonant, rauco et Mavortia cantu
 451 classica, militibus terras atque aequora complent :
 452 arrige, Christe, tuas miseris mortalibus aures,
 453 Teutoniaeque libens jam nunc miserere ruentis,
 454 cui, nisi tu fueris, jam tristia quaeque minantur
 455 omnia, et exitium miserabile jam portendunt.
 456 Ergo juva, pie Christe, juva, miserere tuorum,
 457 semper et invicto turbatas robore mentes

458 erige, lucifugi vafro ne daemonis astu
459 succumbant. Heu quot nobis, quot retia tendit,
460 quot laqueos Satanas ! Quos nemo evadere, nemo
461 evitare potest, medio in certamine fessis
462 tu nisi succurras, atque irrita robora vincas.
463 Tu fac ut mentes coeant, tu pace ligatos
464 concilia regumque animos, Martisque furorem
465 comprime, quo fessis sint otia libera Musis.
466 Sic tibi dulcisonis dicemus carmina linguis.
467 Sit tibi laus, tibi summus honos, tibi gloria. Dixi.
